Rob. Unger.

LIBRI PRIMI

THEBANARUM RERUM

SPECIMEN.

QUOD

UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE OBTINENDORUM CAUSSA

D. XXIX. M. APRIL. A. MDCCCXXXV.

HORA X.

CONTRA ADVERSARIOS

LEOPOLDUM KRAHNER, ROBERTUM GEIER, CAROLUM HASSE, PHILOSOPHIAE DOCTORES,

PUBLICE DEFENDET

ROBERTUS AUGUSTUS UNGER

BITTERFELDANUS

NUPER SEMINARII REGII PHILOLOGICI SENIOR
ITEM SOCIETATIS HISTORICAE SODALIS.

HALAE

FORMIS EXPRESSUM PLOETZIANIS.

Quoniam quem ad Amplissimum Philosophorum Ordinem perscripsi Thebanarum rerum librum primum cum temporis et loci angustiis tum ipsa huius quaestionis conditione vetitus sum divulgare contractum et in angustiores fines deductum, neque integrum fuit iusta unius capitis explicatione redimere reliquorum omissionem: visum est uti miscellaneo quodam commentandi genere et quum universae urbis Thebarum descriptio quinque capitibus contineatur e duobus, quae sunt de portis ac monumentis rebusque notabilibus, particulas quasdam nec lectu omnino iniucundas et per se satis graves carpere atque delibare. Itaque nunc quidem videri poterimus Pausaniae aliquot locos enarrasse diligentius, commentarios autem, quos diximus, licebit, ut speramus, incrementi uberioris accessione insigniter novatos edere propediem.

Urbis Thebarum quum sex portae essent — nam Ogygiis Cadmea claudebatur —, maxima fama fuit eius, quam Ἠλέκτρας vocant longe plurimi ut Pindarus Isthm. IV. 105. Aeschylus Sept. c. Theb. 419. Blomf. Euripides Phoen. 1129. 1570. Suppl. 653. Bacch. 736. Matth. Apollodorus III. 6, 6. Pausanias IX. 8, 3. p. 32. 11, 1. p. 38. Vol. IV. Sieb. Antoninus Liberalis c. XXXIII. Statius Theb. VII. 365., sequior Nonnus Ἠλέκτρην Dionys. V. p. 144, 8. et Lactantius in Stat. l. c. si quis forte duxerit Tiliobrogae librum (Obss. Var. Lectt. p. 509.) in hoc reliquis potiorem, Ἠλεκτρίδες Scholiasta Apoll. Rhod. I. 916. p. 408. Schaef. et Pindar. Isthm. IV. 104. p. 826. sq. Heyn., denique Ἠλεκτριάδες Scholiasta cod. Aug. Eurip. Phoen. 1129. p. 240., quod perperam scriptum est Ἠλεκτριάδαι apud Marxium in Ephor. Fr. p. 102. His convictus est singularis error Munckeri, non Electras, sed Electrae portas recte dici opinati ad Anton. Lib. p. 144. Teuch. De origine nominis, ut fere fit,

discrepare scriptores declaravit Staverenius in Hygin. Fab. LXIX. p. 141. Repetunt huc aut Electryonem Alcmenae patrem aut Electram filiam Amphionis vid. Schol. Phoen. l. c. Et Electryonem quidem qui attulerunt, eos certum est aut incautiori vocabuli notandi studio deditos operam lusisse aut confudisse Electryonem et Electryonen, quam ab aliis dictam fuisse Electram prodidit Hellanicus Fr. LXXI. p. 102. sq. ed. alt. Ab Electra enim, quae Amphione et Zetho paullo prior fuerit, communi plerique sententia, dum de sex portis unam extare volunt testem imperii a Cadmo fundati, ducunt appellationem; id tantummodo ambigitur, fueritne ea Cadmi soror, id quod Thebani affirmabant (Pausan. IX. 8, 3. p. 31.), an filia Atlantis eademque Cadmi socrus, cuius memoriam portis consecratam fuisse scriptum reliquerunt Hellanicus et Idomeneus apud Schol. Apoll. Rhod. I. 916. et Ephorus apud Schol. Phoen. 7. p. 7. (Fr. hist. I. 12. p. 101.) Sed qui portas suo quamque numine distinxit, Nonnus hic commemorare maluit Solem, qui Ἠλέκτωρ dici soleret v. Meinek. de Euphor. p. 143. Firmissimam eam portam fuisse unde collegerit Barthius in Stat. Theb. IV. 341. T. II. p. 1032., ego ignoro; fuit vero clarissima et propter Capanei ruinam, qui quum impie ferox in summam eius altitudinem evasisset, Iovis fulmine deiectus est (Pausan. l. c. p. 32. conf. Aesch. Sept. 419. Eurip. Phoen. 1129. 1172. sq.), et quod inde via erat in Plataeensium agrum atque Atticam, de qua re subdubitare non debebat Elmsleius in Bacch. p. 99. exmpl. Lips. Nam Electris egressus (Pausan. IX. 9, 3. p. 32.) superata Dirce intra decimum fere stadium Potnias accedebat (id. 8, 1. p. 29. Xenoph. Hist. Gr. V. 4, 51.); inde traiectis fluviis primum ad quartum milliarium (Gell. It. of Gr. p. 139.) Asopo, qui agrum Plataeensem et Thebanum dirimebat, mox Oëroë (Pausan. l. c. et c. 4, 3. p. 16.) et Androcratis fanum herois loco ab Plataeensibus habiti ad sinistram praetergressus (Thucyd. III. 24. et Wass. Vol. II. p. 528. ed. Bip.) Plataeas perveniebat. Via tota erat plana atque aequabilis (Dicaearch. vit. Gr. p. 188. ed. Marx. Pausan. c. 1, 3. p. 6.), nisi quod proxime a Thebis iugis humilibus scindebatur inter se velut serie cohaerentibus (Gell. It. p. 56. 109.). Distabant autem

Thebis Plataeae stadiis octoginta (Dicaearch. l. c.) vel si audis cum Casaubono in Strab. IX. p. 411. et Wesselingio in Anton. Itin. p. 327. Thucydidem II. 5. septuaginta, ut flammis per noctem excitatis Plataeenses Thebanis significarent si quid aliter nunciari non posset v. Thucyd. III. 22. Polyaen. VI. 19, 2. p. 583. sq. ed. Maasv. Plataeis relictis petebantur Eleutherae (Pausan. c. 2, 2. p. 8. Xenoph. Hist. Gr. V. 4, 14.), quae, ab Eleusine qua in Boeotiam iter est, Atticae et Boeotiae fines regebant Cithaerone monte utriusque terrae termino nondum constituto (Paus. I. 38, 8. p. 169. IX. 1, 1. p. 3.). Quam iuxta viam visebantur tumuli Graecorum, qui proelio ad Plataeas commisso occubuerant, et ad laevam Mardonii monumentum (Paus. IX. 2, 4. p. 9. 2. p. 7. sq.). Inde ab Eleutheris duae viae porrigebantur, altera quae Megara ferebat (Pausan. II. 6, 2. p. 228. IX. 2, 3. p. 8. conf. Apollod. III. 5, 5. Xenoph. Hist. Gr. V. 4, 55.), altera quae Eleusinem (Lucian. Dial. Mort. XXVII. 2. Vol. II. p. 223. sq. ed. Bip. Plutarch. vit. Pelop. c. XIV. p. 246. Vol. II. Hutt.), unde Theseus Thebanis armorum vi in humanitatem coactis Argivos milites ad Eleutheras, duces ad Eleusinem sepelivit v. Plut. vit. Thes. c. XXIX. Vol. I. p. 31. Paus. I. 39, 2. p. 170. sq. Eurip. Suppl. 759. 761. conf. Taylor. in Lys. Epitaph. p. 105. Valcken. in Herod. IX. 27. p. 1066. Gaisf. Praeclare Strabo, cuius verba apposuisse expedit (IX. p. 411. sq.): „*Πλαταιαὶ δὲ — ὑπὸ τῷ Κιθαιρῶνί εἰσι μεταξὺ αὐτοῦ καὶ Θηβῶν κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν εἰς Ἀθήνας καὶ Μέγαρα ἐπὶ τῶν ὅρων τῶν τῆς Ἀττικῆς καὶ τῆς Μεγαρίδος. Εἰσὶ γὰρ Ἐλευθεραὶ πλησίον, ἃς οἱ μὲν τῶν Πλαταιῶν, οἱ δὲ τῆς Βοιωτίας φασίν.*“ Iam totum spatium Athenas inter et Thebas interiectum, quod non fuisse integri unius diei e loco Corn. Nepotis adnotavit Barthius ad Stat. Theb. XII. 163. 374. 661. T. III. p. 1453. sq. 1484. 1542., emetiri licet horis duodecim tredecimve teste Gellio It. of Gr. p. 56. Conf. Itin. Anton. p. 325. sq. Meletius Geogr. p. 344., quem pugnantia loqui indicavit Hobhousius Iourn. Vol. I. p. 283. not. subi. ***Plataeis autem iter facienti in regionem Atticam superandus erat Cithaeron, qua parte demissior flexuque***

leni interruptus viam planiorem ostendebat; superatis angustiis ad ipsum montis pedem occurrebant Eleutherae campusque urbi subiectus, Oenoën Atticae pagum contingens. Verba sunt Hemsterhusii in Lucian. Vol. II. p. 535. Eas fauces Boeotii Tria Capita, Quercus Capita appellabant Athenienses (Philostr. Imagg. II. 19.), in quibus quae supersunt operum munitionumque reliquiae viris doctis praebuerunt dissentiendi materiam. vid. Odofr. Muellerus in Doctr. Encycl. T. VI. p. 215. sq. Herodoto vocantur IX. 38. 39.: *αἱ ἐκβολαὶ αἱ Κιθαιρωνίδες, αἳ ἐπὶ Πλαταιέων φέρουσι· τὰς Βοιωτοὶ μὲν Τρεῖς Κεφαλὰς καλέουσι, Ἀθηναῖοι δὲ Δρυὸς Κεφαλάς.* Pausaniae IX. 13, 3. p. 48.: *ἡ κατὰ Κιθαιρῶνα ἐςβολή*, Xenophonti V. 4, 47.: *τὸ ὑπὲρ τῆς κατὰ τὸν Κιθαιρῶνα ὁδοῦ ἄκρον.*, ibid. 14. 59.: *τὸ ἄκρον.* et sunt fere eae angustiae intelligendae, sicubi Cithaeron transiri dicitur (Xenoph. V. 4, 36. 37. 38. 41. 55. VI. 4, 5. 25. Plutarch. de Gen. Socr. XXV. Vol. X. p. 354.). Nam Plataeis per Quercus Capita Eleutheras perveniri Hemsterhusius l. c. vere collegit ex Herodoto et Thucydide (III. 24.), ubi Plataeenses, qui obsessa urbe de nocte eruperunt, narrantur ut hostes fallerent viam quae Thebas ferebat ingredi simulque videre *τοὺς Πελοποννησίους τὴν πρὸς Κιθαιρῶνα καὶ Δρυὸς Κεφαλὰς τὴν ἐπ' Ἀθηνῶν φέρουσαν μετὰ λαμπάδων διώκοντας.* Idem effici ex Xenophontis loco, qui est in Hist. Gr. V. 4, 14., nos supra diximus monstrarique a Pausania IX. 2, 2. vidit Krusius Hellad. Vol. II. P. I. p. 9. 10. Itaque nescio an pro Eleutheris Erythrae ponendae sint apud Xenophontem l. c. *Καὶ τὴν μὲν δι' Ἐλευθερῶν ὁδὸν Χαβρίας ἔχων Ἀθηναίων πελταστὰς ἐφύλαττεν, ὁ δὲ Κλεόμβροτος ἀνέβαινε κατὰ τὴν ἐς Πλαταιὰς φέρουσαν. Προϊόντες δὲ οἱ πελτασταὶ περιτυγχάνουσιν ἐπὶ τῷ ἄκρῳ φυλάττουσι τοῖς ἐκ τοῦ ἀναγκαίου λελυμένοις. — Καί τούτους μὲν ἅπαντας εἰ μή τις ἐξέφυγεν οἱ πελτασταὶ ἀπέκτειναν· αὐτὸς δὲ κατέβαινε πρὸς τὰς Πλαταιὰς ἔτι φιλίας οὔσας.* Optavit hoc olim Dodwellus in Anall. Xenoph. ad Olymp. C. 3., adversus quem vereor ne irrito conamine insurrexerit Schneiderus p. 367. Nimirum Erythras ab Atheniensibus obsessas commemorare hic unice commodum erat propterea, quod Eleu-

theris a Chabria occupatis Cleombrotus ad Quercus Capita et Plataeas procedere omnino nequiverit conf. c. 4, 59. Poterat autem relicta ea via, quae Thebis recta Plataeas erat, per Erythras et Hysias in urbem Eleutheras atque Atticam iri, quod deverticulum ut capesseretur belli tempestate nonnunquam usu venit. Velut Plataeenses apud Thucydidem eo, quo diximus, loco in via, quae Thebas ducebat, sex septemve stadia progressi illinc divertentes ad dextram iter Cithaeronem versus flectebant ἐς Ἐρυθρὰς καὶ Ὑσιάς, deinde potiti monte evaserunt in Atticam. Quae Polyaenus VI. 19, 3. p. 584. sq. tradit in modum hunc: οὐ μὴν οὐδὲ τὴν ἐπ' Ἀθηνῶν ὁδὸν ἐτράποντο, ἀλλὰ τὴν ἐπὶ Θηβῶν ὡς ἥκιστα ἂν κατὰ ταύτην διωχθέντες. Καὶ γὰρ οὕτω συνέβη. Λακεδαιμόνιοι μὲν διὰ τοῦ Κιθαιρῶνος ἐδίωκον· οἱ δὲ Πλαταιεῖς ἐκ τῆς ὁδοῦ τῆς Θηβαϊκῆς ἐκκλίναντες ἐπανῆλθον ἐς τὰς Θήβας κἀκεῖθεν Ἀθήναζε διεσώθησαν, ubi depravata sic reficere ἐπανῆλθον ἐς Ὑσιὰς occupavit Valokenarius in Herod. V. 74. p. 623. Eadem arte Neocles Boeotorum praefectus ex improviso Plataeas opprimere molitus, id quod voluit exequutus est, ὅς τοὺς Θηβαίους — οὐ τὴν εὐθεῖαν ἀπὸ τῶν Θηβῶν τήν τε ἐπὶ τὴν πεδιάδα, τὴν δὲ ἐπὶ Ὑσιὰς ἦγε πρὸς Ἐλευθερῶν τε καὶ τῆς Ἀττικῆς, ᾗ μηδὲ σκοπὸς ἐτέτακτο. Paus. 1, 3. p. 6. Adde quod Graeci ab Eleusine inde ἀπίκοντο τῆς Βοιωτίης ἐς Ἐρυθρὰς — καὶ ἀντετάσσοντο ἐπὶ τῆς ὑπωρείης τοῦ Κιθαιρῶνος Herod. IX. 19. Hysiae quidem atque Erythrae in Parasopia sitae (Eurip. Bacch. 707. Strab. IX. p. 404. 409.) Eleutheris Plataeas iter facienti sunt paullulum a recta digresso ad dextram (Pausan. IX. 2, 1. p. 7. Wesseling. et Valcken. in Herod. p. 622. 623.), quae quam prope ab urbe Plataeensium absint inde iudicatur, quod qui apud Hysias constituitur exercitus subest fano Androcratis (Herod. IX. 25.), quod supra dictum est Thebis Plataeas accedenti ad laevam esse. In hoc ipso, opinor, bivio, unde aut Hysias et Erythras ibatur aut Plataeas, Antiopam geminos enixam esse refert Hyginus fab. VII. p. 23. Munck. locorum aliquanto curiosior reliquis, qui ultra Eleutheras eum partum editum significant. vid. Valcken. Diatr. in Eurip. Fragm. c. VII. p. 59. b. c. p. 62. a. conf. Timagoras apud

Schol. Phoen. 159. p. 46. Deinde sacra via, qua Atheniensium Pythica legatio atque Atticae Thyades Delphos vadebant, memorata Ephoro (apud Strabonem IX. p. 422.) Herodoto (VI. 34.) Pausaniae (X, 4, 2. p. 177.) primum superata Eleusine (Meurs. Eleus. c. XXVII. p. 82.) in has fauces insinuabat, hinc ad Thebas (Schol. Phoen. 38. p. 15. argum. Aesch. Sept. p. XI. ed. Weig.) et in agrum Haliartium (Pausan. VII. 3, 1. Vol. III. p. 140. IX. 33, 1. Vol. IV. p. 121.), inde Lebadeam (Gell. Noctt. Att. XII. 5, 1.) et Chaeroneam ac Panopeum dirigebatur (Pausan. X. 35, 5. p. 336. Plutarch. vit. Lysand. XXIX. Vol. III. p. 171.), postremo per Daulidem Delphos se demittebat. vid. Odofr. Muellerus Orchom. p. 36. Dor. I. p. 241. A Theseo hoc iter praedicabant Athenienses munitum et tutum redditum (Schol. Aristid. p. 107. Fromm.) a latronibus, quibus Eleutherae et loca Cithaeronem adiacentia infesta erant et periculosa iam olim ab heroum usque aetate. Quae huc faciunt, lubens praetereo, ut quae sollertissime pertractata sint ab Hemsterhusio in Lucian. l. c. p. 535. 536. His ita expositis concinne possunt geographorum rationes castigari ordinarique. Vana igitur atque inanis est opinio Barbiei Bocagii (in Stanhopii topography illustrating the battle of Platea p. 130.), duas extitisse fauces, alteras, per quas Graeci cum Mardonio debellaturi adventarint, alteras eas, quas vocarent Quercus Capita. Cuius errorem quum merito exagitavisset Odofr. Muellerus Orchom. p. 489., Krusius tamen Hellad. Vol. II. P. I. p. 10. in eandem fraudem se abripi passus est. Verum et ipse Muellerus in Orchom. p. 488. 489. et Doctr. Encycl. T. VI. p. 215. 216. T. XI. p. 255. cum aliorum, quae supra protulimus, tum Strabonis immemor minus recte statuit, viam principem orsam illam a portis Ogygiis (Orchom. p. 486.) Thebis Eleutheras atque Athenas duxisse per Hysias et Erythras, Schoenio tamen in Ephem. Schol. an. MDCCCXXX. sect. II. nr. 20. p. 155. id persuasum est, qui quidem errorem a Muellero acceptum eo amplificavit, quod Thebis Eleutheras proficiscentem negavit Potnias contingere. Etenim illud iam evidens est, Thebis Plataeas viam esse per Potnias eamque non ita longo a Plataeis intervallo ita diffindi, ut sinistrorsus iter pateat ad

Hysias atque Erythras. Ad hoc nullum ex Ogygiis portis iter in hanc regionem fuisse suo loco commonstrabitur. Hoc autem loco par est etiam reliquos Boeotiae et Thebani agri aditus patefieri. Primum igitur interclusis Eleutherarum angustiis Peloponnesii ut declinarent ab Atticae transitu Thespias iter faciebant per Aegosthena et Creusin (Xenoph. Hist. Gr. V. 4, 16. 18. VI. 4, 25. 26.). De quo itinere haud integre sensit Odofr. Muellerus Orchom. p. 489. et qui eius opibus saepius numero tacite abusus est Krusius Hellad. Vol. II. P. I. p. 493. Cavendum est enim magnopere, ne Cleombrotus putetur Boeotiae fines non per Cithaeronias fauces intrasse. Sed hinc clare conficitur detrimentum cepisse Plutarchum in vit. Lysandr. XXVIII. Vol. III. p. 169.: *Παυσανίας μὲν κυκλῷ περιελθὼν διὰ τοῦ Κιθαιρῶνος, ἔμελλεν εἰς τὴν Βοιωτίαν εἰςβαλεῖν· Λύσανδρος δὲ διὰ Φωκέων ἀπήντα*, ope promptissima et, ne alios nominem, Meinekii Quaestt. Scen. Spec. I. p. 15. not. et Santenii in Propert. p. 907. auctoritate satis commendata sic resarciendum: *Παυσανίας μὲν, οὐ κυκλῷ περιελθὼν, διὰ τοῦ Κιθαιρῶνος ἔμελλεν εἰς τὴν Βοιωτίαν εἰςβαλεῖν.* Sunt deinde, qui Boeotiam petentes Phylen castellum praetereant transscendantque Parnethem montem. vid. Gellius It. of Gr. p. 42. et quos addit Krusius Hellad. p. 11. not. 49. conf. Plutarch. vit. Lysandr. XXXVIII. p. 169. Denique eo via est a Parnethis parte, quae in orientem solem spectat, exorsa, hinc porrecta propter maris littus per Oropum et Tanagram (Dicaearch. vit. Graec. p. 185. 186. Krus. l. d.). Praeterea et *τὴν κατὰ Θεσπιὰς* et *τὴν κατὰ Σκῶλον πάροδον* ostendit Polyaenus II. 1, 11. p. 124. et II. 1, 25. conf. Schneider. in Xenoph. Hist. Gr. p. 385. 379. Herod. IX. 15. Et Scolus quidem oppidum a via, quae Thebas Plataeis fert, stadia fere quadraginta remotum (Pausan. IX. 4, 3. p. 16.) situmque erat in Parasopia (Clinton. Fastt. Hell. p. 395. not. 1.). Quo Plataeis si profecturus es, iter movendum est ad Erythras (Xenoph. V. 4, 49. conf. Herod. IX. 25. et Wesseling. p. 1064.).

Iam ut eorum recensum et descriptionem exhibeamus, quae circa Electras portas visebantur, huc ex Plataeensium finibus Pausaniam recordabere appropinquasse. Quare Whelerus Itin. p. 377. ed. Amst. Musgravius in Eurip. Suppl. 663. Markl. p. 133. ex. Lips. singulorum, quae spectarit Pausanias, positum ex itinere, quo Thebas ventum esset, definiri recte existimarunt; contra Hermannus in Suppl. 681. p. 47. sq. non assequutus ille mentem Wheleri, Siebelisius in Pausan. IX. 17, 2. p. 56. et Schoenius p. 155. rati ea enumerari tanquam ab urbe spectata per errorem lapsi sunt, quem nunc non vacat fuse redarguere. Ipse Pausanias primum eo repugnat, quod narrationem suam ita explicavit, ut itineris, quo Thebas perlustravit, tenor videretur fuisse unus et perpetuus; neque ego perspicio, qui Hermannus ex descriptione Proetidum, unde abiit ad Euripum Pausanias, coniecturam potuerit facere de Electris. Deinde ut ambulaverit Pausanias Thebis egressus, debuit is coeco quodam impetu ferri, qui per agros ab urbe remotiores palatus (c. 10, 1.) demum inviseret ea, quae in utraque parte portae (c. 10, 2. sq. c. 11.) collocata erant. Mitto quod ratione Hermanni rata habita Ismenus fluvius occidentale potius Thebarum latus alluere dicendus est, quam quod in orientem solem vergit; mitto alia. Non longe igitur ab Electris iuxta viam, qua Plataeis Thebas itur, fuit eorum, qui proelio cum Alexandro et Macedonibus facto mortem oppetiverant, commune sepulcrum (πολυάνδριον Kirchm. de Fun. III. 14. p. 442.). v. Pausan. c. 10, 1. p. 35. Ante Electras autem a Thebanis certamen capitis et famae consertum Arrhianus etiam testificatur in Exp. Alex. I. 8. Ibidem alter fuit locus communis, si Pindari Scholiastae in Nem. IX. 52. p. 764. deberemus auctoritatem habere, qui militum Argivorum cadavera septenis rogis ad septenas portas exstructis arsisse perhibet: ἐφ᾽ ἑκάστῃ γὰρ πύλῃ πολυάνδριον ἐγένετο. Thebis enim combustos ait Pindarus Olymp. VI. 15. sq. Nem. IX. 24., quos a Theseo Eleutheris conditos Athenienses iactabant. Verum dum pestis ob Oedipi facinus divinitus missa Thebis incumbit apud Senecam in Oedip. 127. „Longus ad manes properatur ordo Agminis moesti seriesque tristis Haeret et tur-

bae tumulos petenti Non satis septem patuere portae. Denique illic etiam Macedones humatos credo, qui bello, quod modo diximus, a Thebanis interfecti essent. v. Diod. XVII. p. 497. C. ed. Rhod. Sed a Thebanorum sepulcro et ab Ismeno non multum distabat campus, ex quo ingestis a Cadmo Martii serpentis dentibus Sparti provenisse ferebantur. Pausan. c. 10, 1. p. 35. Unde quae lux Sophocli Antig. 1122.: *ὦ Βακχεῦ, Βακχᾶν μητρόπολιν Θήβαν Ναίων παρ' ὑγρῶν Ἰσμηνοῦ ῥεέθρων ἀγρίου τ' Ἐπὶ σπορᾷ δράκοντος* affundatur praeteriit Ellendtium in lex. p. 447. Nec Statius neglexit in Thebaide sua memorare: Aoniam et dirinovalia Cadmi III. 645., foetum agrum Cadmo IV. 435., Cadmeum campum VII. 328., aut *λόγχης πεδία* poeta nescio quis apud Plutarchum Reip. Ger. Praec. XVII. Vol. XII. p. 173.: *Ἀρχόμενος ἄρχεις, ὑποτεταγμένης πόλεως ἀνθυπάτοις, ἐπιτρόποις Καίσαρος· οὐ ταῦτα λόγχης πεδία οὐδὲ αἱ παλαιαὶ Σάρδεις οὐδὲ ἡ Λυδῶν ἐκείνη δύναμις· εὐσταλεστέραν δεῖ τὴν χλαμύδα ποιεῖν* adeo hucusque non intellectus, ut Reiskius hanc scripturam coniectaret *οὐ ταῦτ' Ἀλόπης πεδία.* Nihil vero ad Plutarchum iste si quis fuit Alopae campus; Thebanum agrum (v. Jonsius epist. ad Gudium p. 212. in Graev. Syntagm.) ego arbitror appellari hac voce, cum qua comparationem quandam habent *λιμοῦ πεδίον*, quod in proverbio apud homines Alexandrinos fuisse aiunt (Plutarch. Vol. XIV. p. 590.), *ἀνέμου πεδίον* (Erasm. Adag. IV. 5, 70. p. 352.), *λήθης πεδίον* (Wyttenbach. in Plutarch. de Ser. Num. Vind. p. 115.), *λειμὼν ἄτης* (Hierocl. Comm. Carm. Aur. p. 355.). Quodsi quaeris, unde *λόγχης* potissimum vocabulo Spartos poeta designarit, Spartorum galeas Euripides Phoen. 939., Tzetza Chil. X. 419. p. 380. Kiessl., Claudianus de Laud. Stilic. I. 322., clypeos Iuvenalis Sat. XIV. 242. celebravit, sed diligentissimus quisque rerum reconditiorum scrutator hastam, *cuius prima acies de sulcis apparuit*, ut refert Ovidius Met. III. 107. Nimirum sicut Pelopis progenies eburneo humero insignis fuit, ita Spartorum posteros in corpore habuisse impressum hastae signum tanquam notam genitivam praeter eos, quibus usi sunt Victorius Var. Lectt. VIII. 16. p. 186. sq. et Ionsius p. 216. sq., testis est

Iulianus Orat. II. p. 81. C. Cuius rei significatio, opinor, delitescit in Euripidis versu, qui est in Suppl. 578. ἐλθ', ὥς σε λόγχη σπαρτὸς ἐν πόλει λάβῃ, eamque Pindari verbis Isthm. VI. 10. Σπαρτῶν ἀκαμαντολογχᾶν subiectam esse non plane infitias ivit Ionsius p. 217. Sed quin poetae, de quo agitur, dictum certo lumine a nobis illustratum sit, vix ulla relinquitur dubitatio propterea, quod afferre habemus, qui illud ipsum imitando expresserit. Is est Procopius, qui in epistola ad Musaeum haec posuit: Ἄλλοις μὲν γὰρ ἄλλος μέγα φρονεῖ· ὁ Λυδὸς χρυσῷ, ὁ Σπαρτιάτης τῷ δόρατι, χορδαῖς Ἀρίων commode usurpata ab Io. Meursio in Misc. Lacon. II. 2. p. 95. Et Spartiatas quidem cum Iuliano l. d. et Gregorio Nazianzeno Epist. CXXXIX. p. 685. C. Procopius apellavit, quos alii rectius Spartos appellant. conf. Buenemannus in Lactant. Institt. III. 4, 9. p. 295. Bochartus Chan. I. 22. p. 499. B. et Siebelisius ad Pausan. VIII. 11, 5. Vol. III. p. 236. Consentaneum est autem pristinum scribendi genus huic versui restitui in hanc fere speciem: τάδ' οὐχὶ λόγχης πεδίον, οὐ τάδ' αἱ πάλαι Σάρδεις., quemadmodum quae apud Thucydidem VI. 77. leguntur οὐκ Ἴωνες τάδε εἰσὶν οὐδ' Ἑλλησπόντιοι sic mutata protulit Aristides T. III. p. 651. ed. Cant. οὐκ Ἴωνες ταῦτά εἰσιν. Thebas igitur ab excellentia bellicae virtutis vides amplissime laudari, Sardes a divitiarum magnitudine, quas urbes vetustate augustissimas composuit Nonnus Dionys. XLI. p. 1056, 21. Et in Sardium antiquarum commemoratione frequenter versati sunt scriptores (v. Bianor Epig. v. 1. 3. in Anth. Pal. IX. 423. Spanhem. in Callimach. h. in Dian. 246. p. 298.), quod illius opulentiae ipsa vestigia aetate posteriore aboleverunt. v. Laurentius Lyd. de Magg. III. 64. p. 268. Tzetza in Lycophr. 272. Bernhardyus in Dionys. Perieg. 832. p. 753.[1]) Ab hoc inde campo, ubi

---

1) De Pelopidis exposuerunt Wernsdorfius in Himer. Orat. VIII. 4. p. 546. sq. Iacobsius in Philostr. Imagg. p. 388. 593. et de aliis aliarum familiarum genitivis signis Piccartus Observ. Hist. Polit. Decad. I. 7. Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib. II. 19. T. I. p. 435. Musgravius in Soph. Electr. 1233. In mentem mihi venit Theophrasti, apud quem homo fastidiosus c. XIX.

Spartos Thebani referebant terra editos esse, Pausanias paullulum de via dextrorsum declinans pervenit ad collem Ismenium templumque Apollinis c. 10, 2. p. 35., quapropter notandus est Natalis de Comitibus, quod verba Aristotelis Mir. Ausc. CXLV. p. 294. Beckm. *λέγεται αὐτοὺς εἰςαχθῆναι εἰς τὸ καλούμενον Ἰσμήνιον ἐν Θήβαις* sic reddidit: *dicuntur illi in Ismenium dictum intra Thebas fuisse introducti.* Occurret tamen hic nobis aliquis proferens, quod est apud Sophoclem Oed. Reg. 20. *τὸ δ' ἄλλο φῦλον ἐξεστεμμένον ἀγοραῖσι θακεῖ πρός τε Παλλάδος διπλοῖς ναοῖς ἐπ' Ἰσμηνοῦ τε μαντείᾳ σποδῷ.* Quo loco nescio an nullus curam interpretum non dicam imbecilliorem sed sinisteriorem usquam sit expertus. Etenim cum reliquis omnibus Paschalius Coron. IV. 12. p. 240. ed. Lugd. 1661. Thebanorum *multitudinem* scribit *in foro sedisse iuxta geminum Minervae delubrum et ad Ismeni fatidicas aras;* atque scio insolentiae numeri pluralis idoneam excusationem parari ab exemplo Homeri, qui Phaeacum forum *ἀγοράς* appellaverit Odyss. VIII. 16. Esto; in foro duo Minervae delubra fuerunt. At vero templum Oncae Minervae in Cadmea, Alalcomeniae in urbe positum fuit; Homoloiae autem minor est dignitas, quam quae huius loci honorem sibi queat

---

proprias quasdam sui generis notas iactat, quibus a natura provisum atque praecautum sit, ne quando puerorum fiat subiectio. Sunt autem eae notae lepra et vitiligo, quae *quamvis*, ut Celsi de Medicina V. 28, 19. p. 341. Kraus. verbis utar, *per se nullum periculum afferunt, tamen foedae sunt et ex malo corporis habitu fiunt*, suntque *αἶσχος μᾶλλον ἢ νουσήματα*, ut ait Hippocrates de affect. 34. T. II. p. 182. Lind. Qui adduntur ungues magni *ὄνυχες μέγαλοι* quales sint, a neminedum exploratum est. Minime vero latet (neque enim huc pertinent oculorum pura, de quibus Foesius in Hippocrat. Praedict. II. Sect. II. p. 84. D.) intelligendos esse ungues scabros *ὄνυχας λεπρούς*, quos meminit Hippocrates de Liquid. Usu Vol. II. p. 160. Kuehn., siquidem *haec omnia impetiginis genera oriuntur in pedibus et manibus atque ungues quoque infestant*, auctore Celso de Medicina l. c. 17. p. 339. sq., cui accedit Pollux IV. 25, 3. p. 219. *λειχῆνες τραχεῖς, πολλὰ ἑλκώδεις — φθείροντες τοὺς ὄνυχας.* Eos igitur ungues tantum abest ut homo sine ulcere detrahat (Plin. Nat. Hist. XX. 85. T. VI. p. 648. Franz.), ut pascat curationis securitate.

vindicare. Videsne, ut forum evanescat, fora emergant? Iam vero unum solum Thebis extitisse forum consentiunt Xenophon Hist. Graec. V. 2, 29. Plutarchus de Gen. Socr. XXXIII. Vol. X. p. 364. 365. Arrhianus Exp. Alex. I. 8. Quo accedit, quod sententiae conformatio, qua Apollinis et Minervae res colligatae atque implicatae sunt quam fieri potuit arctissime, id cogit, ut Ismenium quoque in foro fuisse statuatur. Illud vero quis spreta Pausaniae auctoritate affirmaverit foro adiacuisse? Itaque, ut ego existimo, supplices Thebani assederunt apud deorum templa non dumtaxat in foro, sed congregati haud promiscue; videtur enim cogitando verbi originem Sophocles hic quoque sermonis novitatem consectatus esse. Quo de quominus dubites, e Luciano Icaromen. 19. Vol. VII. p. 28. habe *μυρμήκων ἀγοράν* et ex Philostrato Imagg II. 10. *ἀγορὰν τῶν ψυχῶν* et e Thoma Magistro p. 894. *κυνῶν ἀγοράν*, Hyperidem denique considera, cuius haec verba sunt in *Συναγ. λέξ. χρησ.* apud Bekkerum T. I. p. 330. *Ἀγορὰς Ὑπερίδης ἀντὶ τοῦ συνόδους. Λέγει γὰρ ἐν τῷ Περὶ Πολυεύκτου, Οἷον οὗτοι πολλάκις ἀγορὰς ποιοῦνται.* Deinde et hos civium coetus et illos, qui ad Oedipum preces vertunt v. 3. *ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι*, cum Paschalio p. 240. 241. Marklando in Eurip. Suppl. 270. p. 83. Brunckio, aliis, etiam Ellendtius lex. Soph. p. 568. facit ramis instructos. Adeo nihil profuit Elmsleii ad Euripid. Heracl. 125. p. 63. monitum, quo percepto equidem mihi persuasi illos Thebanos fuisse ramis exutos. Etenim constat ab hominibus supplicantibus frondem oleaginam manu gestari et in deorum aris deponi solitam fuisse. Positis igitur frondibus supplicantium apud aras, quae ante regiam erant (v. 16.), consessum fuisse et veteris religionis constantia edocet et luculenter ipse declarat poeta eo loco, quo cives sublatis ramis humo assurgere a rege iubentur his: *ἀλλ' ὡς τάχιστα, παῖδες, ὑμεῖς μὲν βάθρων Ἵστασθε, τούσδ' ἄραντες ἱκτῆρας κλάδους.* Ergo hoc inculco, sententiae Plutarchi de Aud. Poet. V. Vol. VII. p. 85., a quo Sophoclis versum male intellectum ut dicam nulla unquam extorquebitur machina, haud leve firmamentum ac robur iam a nobis adiectum esse.

Postremo verborum *ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι* constructio quae sit, planissime condiscitur ex Augusto Matthiae in Eurip. Bacch. 639. T. VIII. p. 175., cum quo conferre operae pretium est annotata Huschkii ad Domiti Marsi epitaphium Tibulli v. 3. p. 678. sq.; quibus adducor, ut Iulio Obsequenti c. XXVIII. sartum tectum relinquam suum illud: simulacrum dissipatum membris, quod improspera correctione attrectavit Oudendorpius. Iam quia ratio nostri instituti fert, ut deorum templa strictim commemorentur, quam uberius describantur, damni supplendi causa Livii locum, de quo a viris doctis summopere ambigitur, iuvat perpendere. Apud eum Eumenes lib. XLII. 12. haec: „Boeotorum gentem captatam Philippo numquam ad scribendum amicitiae foedus adduci potuisse: tribus nunc locis cum Perseo foedus incisum litteris esse: uno Thebis, altero ad Delum augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Delphis.“ Sic haec edi solent a Sigonii inde tempore, quum omnium librorum sit: altera ad Sidenum; nec Drakenborchius, qui Sigonii commentum confutavit, dispexit quod satisfaceret. Dudum est, ex quo opinione auguratus sum legendum esse: „altero ad Ismenum augustissimo et celeberrimo in templo“, ut foedus illud cum Delphis tum in Thebarum foro et apud Thebas in templo Ismenii Apollinis propositum fuerit, quemadmodum cives Acraephiae oppidi *ἀναθεῖναι — ἐν ἀναγραφῇ τὸ ψήφισμα ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πτωΐου καὶ ἐπὶ πόλεως ἐν τῇ ἀγορᾷ* docet inscriptio apud Boeckhium n. 1625. v. 81. sq. I. p. 789. De cuius emendationis veritate dubitare desivi, ubi eadem fere depravatione exaratum animadverti apud Apollodorum III. 6, 8. pro *Ἰσμηνὸν* in libro Pal. *Ἰωδηνόν*, Vat. *Ἰδυνόν*, D'Orv. *Ἰδηνόν*, vid. Heynius nott. p. 633. Nuper (tum vero, ut ingenue fatear, invidia quaedam surreptae gloriolae me subivit) vidi in eandem coniecturam incidisse virum sagacissimum Odofr. Muellerum Orchom. p. 426. not. 4., quamquam quae ab eo commendata scriptura est: „ad Ismenium“ haud perplacet. Situm autem fuisse Apollinis templum in dextra Ismeni ripa, inde colligitur, quod Pausanias c. 10, 5. p. 37. ultra Ismenum, qua sub moenibus Cadmeae solum assurgat, compa-

ruisse ait fontem Aretiadem. Certum est enim atque exploratum a Pausania et locorum positum declarari secundum iter quo Thebas advenerit et Ἰσμήνιον hic fluvium dici, non templum dei Ismenii. Iuxta Martium fontem, quem praediximus, tumulus visebatur Caanthi, qui quum sororem Meliam, quam quaerere a patre Oceano iussus esset, ab Apolline raptore abducere nequivisset, ignem in lucum Ismenium ausus iniicere fertur ab Apolline sagittis confixus esse, v. Pausan. c. 10, 5. p. 37., quod poenae genus pervulgatum est et tractatum multifariam a viris doctis, de quibus propter Amphionis memoriam nominasse satis est Burmannum Iov. Fulg. XV. p. 344.

Relicto Caanthi sepulcro Pausanias in laevam partem viae atque in suburbium Electras concessit. De quo expositurís nobis opus est, quae de cursu Dirces et Ismeni inquirendo exequuti sumus, breviter declarare. Nimirum per aliquod spatium, sicut nascitur in monte Cithaerone, Dirce uno amne decurrit, post ubi aquis increvit dividitur et quasi gemina exoritur quantaque simplici alveo venerat, tanta fere singulis ita effluit, ut Ismenus fluvius dextrorsum inflectatur et diutius labatur, antequam ipsa Thebarum moenia attingit, Dirce non ita magno ab Ismeno seiuncta intervallo paene recta et ad occidentale urbis latus deferatur. Iam attendendum est ad verba Dicaearchi Vit. Graec. p. 189.: ποταμοὶ ῥέουσι δι' αὐτῆς δύο, τὸ ὑποκείμενον τῇ πόλει πεδίον πᾶν ἀρδεύοντες, quibus *ad territorium totum neque ad urbem tantum respicere* scriptor visus est Gailio in Geogr. Min. Vol. II. p. 189. sequuto in eo Henr. Stephani arbitratum. Scilicet istis non contigit, ut urbem et territorium ab ipso Dicaearcho viderent enucleate discerni. Dein quamvis praepositione διά saepius numero aequari vim ac potestatem praepositionis παρά subtiliter et copiose disputarit Abreschius ad Xenoph. Ephes. IV. p. 56. in Misc. Obss. Nov. T. VI. p. 490. et in Animadversionibus ad Viri Cl. de quibusdam locis Flori ἐπίκρισιν ibid. p. 625. — p. 636., Dicaearchi tamen oratio quominus in ambiguum implicata habeatur, moratur gravissima auctoritas Pausaniae, qui quum perlustraret, quae apud portas Neïstas exstiterint memoratu digna, se

transmisso amne Dirce domus Pindari ruinas et templum Dindymenae matris adivisse narrat cap. 25, 3. p. 87. conf. Thom. Mag. vit. Pind. Vol. II. p. 155. Res autem ita animo informanda est, ut suburbium existimetur trans Dircen ante Neïstas fuisse, id quod suo iure praecepit Krusius Hellad. Vol. II. P. I. p. 437. sq. Qua de causa opportunum est recordari Thebas antiquissimis temporibus vicatim habitatas. Accedit, quod suburbium Proetidibus portis subfuisse minime obscure prodit Scholiasta Euripidis in Phoen. 1109. p. 233. Ἐκβληθεὶς γὰρ ὑπὸ Ἀκρισίου ᾤκησεν ὁ Προῖτος εἰς τὰς Θήβας πλησίον τούτων τῶν πυλῶν· ὅθεν ἴσχυσεν αὐτῶν ἡ προςηγορία. Quippe ei vana quaedam de Proeto Argivo comminiscendi materia suppeditavit oppidulum, quod ante portas Proetides extitisse compertum haberet. Ergo, ut paucis rem absolvam, Ismenus campum ante Cadmeam porrectum emensus Thebarum partem, quae in orientem solem vergebat (Aesch. Sept. 374. 388.), et quod ibi fuit suburbium interfluebat, contra Dirce moenia (Pindar. Isthm. V. 75. Aelian. Var. Histt XII. 57.), qua erant portae Crenaeae et Neïstae occidenti oppositae, oppidulumque ante Neïstas situm transibat. His profligatis tertii cuiusdam suburbii licet instaurare memoriam habitati illius a posteris Herculis et conditi ab Amphitryone, qui occiso Electryone (Pherecyd. fr. XII. p. 98. Heyn. nott. ad Apollod. II. 4, 6. p. 318.) Tirynthe extorris cum Alcmena Thebas perfugisse traditur (Eurip. Herc. Fur. 14. sq. Diodor. IV. p. 218. C. Tzetz. in Lycophr. 932. Heyn. l. c. p. 319. conf. Plutarch. de Exil. XVII. Vol. X. p. 386.) et domicilium ante Electras portas collocasse. v. Pausan. c. 11, 1. p. 38. et Chrysipp. apud Schol. Pindar. Isthm. IV. 104. p. 827. conf. Pausan. I. 37, 4. p. 164. Cui quidem suburbio nomen fuit Electrae. Auctorem do Phavorinum p. 350. Ἤλεκτραι πόλις Θηβῶν. Ita enim reformare visum est id, quod nunc in libris est πόλεις. Eadem labes adspersa haeret Etymologico Magno p. 613, 42. Ὄγκαι πόλεις ἐν Ἀρκαδίᾳ, haesitque scholiis in Lycophr. 1022., donec abstergeretur a Bentleio ad Callimach. fragm. CIV. p. 356. Hic mihi videor audire quosdam ita dicentes: Quin tu maiores sume spiritus et Phavorino, in quo

maculam agnoscimus, eam fer opem, quam valere omnes fatebimur. Nosti nonnunquam vocabulorum *πόλεις* et *πύλαι* vices mutari; sin minus, adi vel Hasium comm. de Io. Lydo p. LIX. sive Roetherum in Lyd. de Menss. IV. 88. p. 288. et Schneiderum in Xenoph. Hist. Gr. IV. 4, 9. p. 253.; *πύλας* rescribe; hae desiderantur, hae perplacebunt. Audio, nec tamen ista me movent. Habes Electras oppidulum; hoc vero oppidulum est Thebarum suburbium. An tu mirere voce *πόλις* nonnullos abusos esse ad separatam quandam urbis partem significandam? De ea re satis responsum est a Grammio anuott. in Schol. Thucyd. Vol. VI. p. 275. 276. conf. Abresch. Animadvv. in Aeschyl. Vol. I. p. 169. Schol. Aristid. p. 29. Neque aliter Stephanus Byzantinus p. 232, 3. Dind. Calydnam, qui et ipse Thebarum vicus fuit, appellavit: *Κάλυδνα πόλις Θήβης*. Itaque promptissima est apertissimaque ratio, qua a Bastii Epist. Crit. p. 188. tentatione non improbata Sturzio in Pherecyd. p. 185. et Marxio in Ephor. p. 102. vindicentur verba Antonini Liberalis c. XXIII. p. 143.: *Ὕλλος δὲ καὶ οἱ ἄλλοι Ἡρακλεῖδαι — κατοικίζονται πόλιν ἐν Θήβαις· — ᾤκουν δὲ παρὰ τὰς Ἠλέκτρας πύλας.* [2]) Verum haec parum perspexit Siebelisius, qui quum in descriptione Proetidum apud Pausaniam c. 17, 2. p. 61. posita verba sint haec: *πλησίον δὲ Ἀμφιτρύωνος δύο ἀγάλματα λίθινα λέγουσιν Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν Ζωστηρίας*, in adnott. p. 56. inconsiderantius hanc conclusit argumentationem: *Πλησίον Ἀμφιτρύωνος prope domum Amphitryonis illam, quam* c. 11. 1. *dixit Electrae portae ad sinistram fuisse. Fuit*

---

2) Integer locus sic habet: *Εὐρυσθεὺς δ' ἐνέβαλεν εἰς τὴν Ἀττικὴν καὶ παραταξάμενος αὐτὸς μὲν ἀποθνήσκει μαχόμενος, ἡ δὲ πληθὺς ἐτράπη τῶν Ἀργείων· Ὕλλος δὲ καὶ οἱ ἄλλοι Ἡρακλεῖδαι καὶ σὺν αὐτοῖς ἀποθανόντος Εὐρυσθέως κατοικίζονται πόλιν ἐν Θήβαις.* Sturzii l. d. iudicium hoc est: *Pro καὶ σὺν αὐτοῖς legendum est cum Munckero σὺν αὐτῷ, omisso καὶ, vel potius οἱ post καὶ inserendum.* Quod nullius est discriminis. Fallor ego aut scriptum fuit antiquitus *αὐτοῖς παισὶν ἀποθανόντος Εὐρυσθέως.* Nam non Eurystheum solum, verum eius filios etiam bello cum Atheniensibus gesto occidisse memoriae prodidit Apollodorus II. 8, 1. Verborum constructionem probant Scholiasta Aristid. p. 356. Berglerus in Alciphr. I. 2. p. 23. Wagn. Car. Gottl. Kuhnius in Aelian. Var. Histt. I. 4. p. 5. Elmsleius in Eurip. Med. 165.

ergo inter has duas portas Electram et Proetidem. Ergo dum notissimam illam sequitur mediocritatis regulam multis non impune captatam, paene nihil abfuit, quin rem acu tangeret traderetque Amphitryonis domum in arce fuisse. Sane arduum erat pervidere ab Amphitryone dedicata esse ea simulacra deae Minervae, quae ad bellum cum Chalcodonte Euboeae rege transigendum ipsa olim sumptis armis profecta esset. Fefellit enim viros doctos vitium, quod obrepsit loco Pausaniae sic depellendum: λαβεῖν γὰρ τὰ ὅπλα αὐτὴν ἐνταῦθα, ἡνίκα Εὐβοιεῦσι καὶ Χαλκώδοντι ἔμελλεν ἀντιτάξεσθαι· τὸ δὲ ἐνδῦναι τὰ ὅπλα ἐκάλουν ἄρα οἱ παλαιοὶ ζώσασθαι, quibus quae sit comprehensa sententia, sincere olim definivit Caelius Rhodiginus Lectt. Antiq. libr. XXII. 19. p. 1252. G. Nec cognitam habuit Siebelisius illius rationem constructionis, qui quum vocem ἄγαλμα *cum duplici genitivo et eius, cuius in honorem, et eius, cuius manu factum sit,* coniungi probe edocuisset Vol. V. p. 191., non tamen assecutus est, esse ubi altero genitivo eius contineatur indicium, a quo signum sit consecratum. Quam constructionem quoniam nunc non licet diligentius demonstrare, duobus defungar exemplis petitis ex Pausaniae libr. X. c. 15, 1. p. 228. 229.: δύο Ἀπόλλωνος (ἀγάλματα), τὸ μὲν Ἡρακλεωτῶν πρὸς τῷ Εὐξείνῳ, τὸ δὲ Ἀμφικτυόνων ἐστὶν et τὸ δὲ Ἀθηνᾶς δύο τε Ἀπόλλωνος ἀγάλματά ἐστιν Αἰτωλῶν. Apud Proetides autem posita erant deae signa, quod ab hac inde porta itum fuerat adversus Chalcodontem; cuius rei documento illud etiam est, quod ad ipsam viam, quae Thebis Chalcidem fert, Chalcodontis tumulus ostentabatur (Paus. c. 19., 3. p. 67.). Ad quae monumenta spectavit Pausanias VIII. 15, 3. Vol. III. p. 330.: πῶς μὲν γὰρ συνεπελάβετο Ἡρακλεῖ τοῦ ἔργου Χαλκώδων, ὃν πρότερον ἔτι ἀπέκτεινεν Ἀμφιτρύων; καὶ μαρτυρεῖται καὶ πιστεύειν ἄξιά ἐστιν ἐν Θήβαις· in quo explicando loco parum idonee versatus Siebelisius p. 249. explevit exspectationem. Ceterum Amphitryoni locum dare debet Amphictyon apud Plutarchum Amat. Narratt. III. Vol. XII. p. 75.: Ἀμφικτύων — εἰς τὴν Θηβαίων ἀφίκετο πόλιν καὶ Χαλκιδεῦσιν ὑποφόρους λαβὼν ἔπαυσε τὸν δασμὸν Χαλκώδοντα

τὸν βασιλέα τῶν Εὐβοέων ἀποκτείνας· conf. Eustath. in Hom. Il. II. 542. p. 281. extr. Ut eo revertamur, unde oratio aberravit, superabant Pausaniae tempore cum aliae eius domus parietinae tum Alcmenae thalamus, quem aedificatum fuisse fama erat a Trophonio et Agamede his versibus inscriptum: Ἀμφιτρύων ὅτ' ἔμελλ' ἀγαγέσθαι δεῦρο γυναῖκα Ἀλκμήνην, θάλαμόν γ' ἐλλέξατο τοῦτον ἑαυτῷ, Ἀγχάσιος δ' ἐποίησε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης. (Pausan. c. 11, 1. p. 38. Brunck. Anal. III. p. 179. Anthol. Pal. T. II. p. 796.) *Quae inscriptio debet pro ficta haberi; ficta autem erat, ut lacta antiquitatibus gens eademque credula monumentis suis remotae vetustatis auctoritatem conciliaret.* Ita Boeckhius Corp. Inscr. Gr. I. p. 63. Wolfio Prolegg. ad Hom. p. LV. suffragatus et praeter Boeckhium censuerunt Hermannus in Orphicis p. 786. Muellerus Orchom. p. 243. not. 3., alii. Equidem in ea illustranda et perpolienda nunc nolo esse longus. Thalami religionem, in quo ortus Hercules, non omisit Statius Theb. VII. 601. celebrare praedicatione hac: „Sic clamor apertis Exoritur muris; mallent cunabula magni Herculis aut Semeles thalamum aut penetrale ruisse Harmonies"; et sublatius meminit cubiculum amorum suorum conscium Alcmena apud Senecam Herc. Oet. 1801.: „Marita Thebas regna et Ismenon petam Thalamosque nostros, in quibus quondam Iovem Dilecta vidi"; quandoquidem Ζεὺς ἀφικνεῖται ἐπὶ τὴν Ἀμφιτρύωνος οἰκίαν (regiam vocat Hyginus Fab. XXIX. p. 70.) ἔχων καρχήσιον ἐοικὼς Ἀμφιτρύωνι· Pherecyd. fr. XII. p. 98. conf. Pindar. Isthm. VI. 6. Praeter thalamum dilucide narrat Antoninus Liberalis c. XXXIII. sive, quo is auctore utitur, Pherecydes (fragm. L. p. 184.) ante portas Electras fuisse lucum fanumque Alcmenae. Quae quum senio confecta obiisset et ab Heraclidis efferretur, Mercurius, ab Iove iussus Alcmenam clam subductam in beatorum insulis collocare iam Rhadamantho uxorem futuram, illam quidem submovit, saxum vero in loculo inclusit. Itaque quem posita apertaque subinde, quum onere gravati essent, arca invenerunt lapidem, eum in luco statuerunt, ubi postea fanum Alcmenae conspicuum erat. vid. Anton. Liber. p. 144. sq. conf. Plutarch. vit. Romul. XXVIII. Vol. I. p. 81.

Pausan. IX. 16, 4. p. 59. Diodor. IV. p. 162. B. Bayl. Dict. hist. et crit. p. 147. Hinc apud Thebanos nullum (nam errore egregio ducitur Dissenius Comm. in Pindar. Olymp. IX. 96. p. 121.) Alcmenae sepulcrum; quod a Pausania eo loco affirmari, quo de Proetidibus et de Semelae monumento verba fiunt, si quis mirabitur, is reputet, Thebis natos esse Herculem Bacchumque eosque primum homines, deinde deos in nobilitanda patria ita contendisse, ut alterius mentioni prope numquam recordatio alterius non ultro succederet. Haliartii tamen Alcmenae Rhadamantho post Amphitryonis mortem nuptae et in oppido Ocalea (v. Heyn. nott. ad Apollod. II. 4, 11. p. 335. sq. Sturz. in Pherecyd. p. 185. sq. Welcker. de Cret. colon. Theb. deduct. p. 43. not. 100.) fato perfunctae tumulum monstrabant, quem postquam ab Agesilao effodi passi essent subita frugum sterilitate paludisque exundatione vexati sunt. Auctor est Plutarchus vit. Lysand. XXVIII. Vol. III. p. 170. de Gen. Socr. c. VII. Vol. X. p. 308. V. p. 306., quem locum sanissimum coniectura tamen sollicitavit Odofr. Muellerus Orchom. p. 68. not. 3. Vertendum autem eum puto in modum hunc: *Credebant hoc irae divinae circa sepulcrum signum ipsos circumvenire, qui passi essent id effodi.* Existet fortasse qui Astii in Plat. Rep. p. 625. et Baehrii in Plutarch. vit. Flamin. c. XXI. p. 129. auctoritati tantum tribuat, ut amplecti malit hanc ennunciati speciem: περιελθεῖν ἀνασχομένους ὀρυττομένου. Megaris quoque — tanta in rebus sacris Graeci inter se distinebantur obtrectatione (Pausan. IX. 16, 4. p. 59.) — prope aedem Iovis Olympii monumentum visebatur Alcmenae, quam Argis Thebas proficiscentem in suis finibus mortuam et in urbe Apollinis praecepto conditam Megarenses dictitarent (Pausan. I. 41, 1. p. 178.). Thebis vero in suburbio Electris alia insuper extiterunt Herculis indigenae documenta. Velut sepulcra ibidem fuerunt liberorum, quos is e Megara Creontis filia susceperat (Pausan. IX. 11, 1. p. 38. sq. I. 41, 1. p. 178.). Praetereo grave de horum numero ac nominibus scriptorum dissidium, non quod *nullam curam mereantur hae incertissimae fabulae*, quae Barthii sententia est ad Stat. Theb.

X. 884. p. 1273., sed quod uberrimos eruditionis suae fontes in huius rei expositionem derivavit Hemsterhusius in Lucian. Dial. Deor. XIII. 2. Vol. II. p. 286. sqq. Pindarus Thebanus — nam is omnium instar est — octo ait (Isthm. III. 79. sq.) scelere furentis Herculis interiisse iisque ante Electras portas (apud ipsum monumentum, ut recte observavit Dissenius Explic. p. 509.) inferias factas et ludos funebres actos esse. Add. Chrysipp. ap. Schol. p. 827. conf. Boeckh. Explic. Olymp. VII. 84. p. 175. De Megara dimissa ad Diodorum accedit Pausanias (vid. Staverenius Add. in Hygin. Fab. XXXII. p. 944.), verum illic humatum fuisse suspicari licet Stichium Aetolum cum liberis una interemptum, cuius solius necem amator Hercules graviter moeruisse dicitur a Ptolemaeo Hephaest. Histt. lib. VII. p. 76. Teuch. Fuit etiam lapis, quem vocabant Σωφρονιστῆρα, *auctorem reminiscentiae*, ut vult Delrius in Senec. Herc. Fur. v. 1042., quo a Minerva iacto percussus Hercules, ne impia facinora cumularentur funere ipsius Amphitryonis, fuerit somno consopitus (Pausan. c. 11, 1. p. 39.). Huius igitur lapidis credebatur fere eadem virtus fuisse ac vis atque illius, in quo quum sedisset Orestes insania liberatus est, de quo Staverenius Add. in Hygin. p. 952. Porro ibi vidit Pausanias in basi posita sed satis affecta vetustate signa mulierum, quas Thebani appellabant Pharmacides a Iunone olim Alcmenae parturienti additas (c. 11, 2. p. 39. Vid. Hom. Il. XIX. 119. Kuhn. in Pausan. l. c. p. 732. cf. Ovid. Met. IX. 300. Lactant. Narr. Fab. p. 255.). Quas quae elusit Galinthias Proeti filia, ei Hercules, quum adolevisset, beneficii bene memor iuxta aedes Amphitryonis, iam suas factas (Chrysipp. l. d.), sacellum exstruxit. v. Antonin. Liber. c. XXIX. p. 128. Quamquam Pausanias l. c. veneficas illas mulieres, quas Antoninus p. 125. nominat *Μοίρας* et *Εἰλείθυιαν*, falso nuncio deceptas refert a Tiresiae filia Historide. Et Tiresiam Amphitryonis vicinum fuisse e Pindaro (Nem. I. 60.) adnotavit Dissenius Expl. p. 360., sed quod idem scribit illum solitum esse ante Electras in effato loco augurium agere, id scriptum esse ad veritatem nequaquam apposite alio loco evincetur. Verum inter omnia eminuit Herculis templum magnificentia atque opulentia nescio an nul-

lo inferius. Templo adiacebat gymnasium et stadium (Pausan. c. 11, 4. p. 41.). Perveniebatur autem in hoc suburbium et ad Herculis delubrum per viarum angustias, intra quas a Perdicca compulsi quum ad Herculis aedem pedem retulissent Thebani verso subito agmine Macedonum stragem fecerunt. vid. Arrhian. Exp. Alex. I. 8. conf. Droysen. Hist. Alex. M. p. 85. not. 95. p. 86. Postremo, ne quid praetermittatur, in foro suburbii fuit statua Herculis (Antonin. Liber. c. XXXIII. p. 144. s. Pherecyd. p. 184.) et supra lapidem, qui dicebatur Σωφρονιστὴρ, ara Apollinis cognomento Spondii (Pausan. c. 11, 5. p. 41.).

Altero loco dicam de Proetidibus. Sic eae portae nominantur cum ab omnibus omnino tum a Statio Theb. VIII. 353.: „Hypsea Proetides, celsum fudere Dryanta Electrae." At vero qui hic Proetides posuit, certam is legem violavit, quia secundam eius vocabuli syllabam nemo aut Graecorum aut Romanorum magis corripuit, quam Belides, Dardanides, Lesbides, alia, quae sunt apud Nic. Heinsium in Ovid. Epist. Heroid. VII. 145. et Art. Am. I. 172. et in Claudian. IV. Cons. Honor. 180.; id quod accurate definivit Ouwensius Noctt. Hag. III. 23. p. 607. sqq. Versum igitur, quem sine vitii suspicione a Valckenario in Eurip. Phoen. 758. p. 283. alioquin in hoc genere circumspectissimo, ut splendide arguunt annotata in Theocrit. Idyll. I. 22. p. 9., prolatum esse miror vehementer, Kuhnius in Pausan. IX. p. 727. vulgavit numeris ita expletis: „Hypsea Proeticiae", quam vocem Krusius Hellad. Vol. II. P. I. p. 559. deformavit in hanc speciem: „Hypsea Proetidiae." Extat quippe illud (Proetiae in Turgotii libro est p. 528.) apud Lactantium in Stat. l. c., pro quo Proetides integrari maluit Staverenius in Hygin. Fab. LXIX. p. 141. Idem displicuit Heynio in nott. ad Apollod. III. 6, 6. p. 618., qui, ut syllabae modulus constaret suus, vocabulo Proetides continuavit insertam particulam at, quae quam sit non modo inefficax, verum importuna et molesta nihil attinet dicere. Nos Statio unice consultum arbitramur, si unius litterulae accessione, qua facta et metri integritas

restituitur et corruptelae fons apparet, versus sic reconcinnetur: „Hypsea Proetiades, celsum fudere Dryanta Electrae.“ In eum enim modum variare, ne remotiora petam, Electrides et Electriades recordabere; plenam descriptionem huius generis qui concupiverit, doctrinam abunde habebit Heringae in Misc. Obss. Nov. T. VIII. p. 930. D'Orvillii Crit. Vann. c. IX. p. 377. Valckenarii l. d., Ouwensii Noctt. Hag. II. 15. p. 286. sq. Nomen venisse a Proeto — nemo unus dixit Proeteum, ne quis opinetur licuisse Statio Graecum Προιτῆδες (conf. D'Orvill. in Charit. p. 309. sq. ex. Lips., Ouwens. III. 23. p. 609.) latine efferre Proetides — a Proeto igitur nomen venisse, qui ab Acrisio Argis eiectus apud Thebas sedem fixerit, autumat vetus interpres Euripidis Phoen. 1109. p. 235. Secus Pausanias IX. 8, 3. p. 31., qui ex Thebanis audivit id nomen esse Proeti hominis indigenae, *qui qua aetate vixerit et unde genus duxerit*, *difficilius*, ut ait, *fuit ad inveniendum*. Nec sane quidquam videtur invenisse, quo hominis memoriam illustraret ab Aeschylo Sept. v. 391. proditam, eius Scholiasta p. 181. Schuetz. contentus ille vocem *Προιτίσι* (v. 373.) his notasse: *ταῖς ἀπὸ Προίτου.* Ergo nihil suppetit, quo Proëtum e tenebris et silentio proferamus, quandoquidem ne illud quidem per Thebanorum famam omnino integrum est, ut hic is habeatur, cuius filiam Galinthiadem maturato Alcmenae partu nobilem perhibet Antoninus Liberalis. Sed quam partem Proetides prospectent in confesso est cura Pausaniae, qui ab his portis Chalcidem Euboeae urbem ita adiri docet (IX. 18, 1. p. 63.), ut ante Teumesus mons (id. c. 19, 1. 3. p. 66. 67.) et vici Harma et Mycalessus (I. 34, 2. p. 151. IX. 19, 4. p. 67. Strab. IX. p. 404.) attingantur. Transitus autem e Boeotia in Euboeam est ad Hermaeum [3]) (Liv. XXXV. 50.) a Mycalesso

3) De hoc Hermaeo defecit, ut videtur, Wesselingium iusta doctrinae copia, quod iterum ei accidisse haud facile crediderim. Is enim quum *Ἕρμαιον ἐν Κορωνείᾳ τῆς Βοιωτίας τόπον* in Ethic. Aristot. III. p. 46. a Liviano esse remotius vidisset neque extra Livii locum alibi usquam deprehendisset Hermaeum, num Livianum istud bene haberet, dubitationem dedit adnott. in Herod. IX. 39. p. 1077. Quam dubitationem funditus evertit, quem nos in lucem evocavi-

ferme sexdecim stadia disiunctum (Thucyd. VII. 29.), qua *Chalcis adeo arcto interscinditur freto, ut ponte continenti iungatur terraque aditum faciliorem quam mari habeat* (Liv. XXVIII. 7.). *Τὴν Εὔβοιαν*, ait Ephorus apud Strabonem IX. p. 400., *τρόπον τινὰ μέρος τῆς Βοιωτίας πεποίηκεν ὁ Εὔριπος, οὕτω στενὸς ὢν καὶ γεφύρᾳ συνεζευγμένος πρὸς αὐτὴν διπλέθρῳ.* Qui pons qualis fuerit, studiosius inquisivit Is. Vossius Obss. ad Pompon. Mel. II. 7, 55. p. 210.; Livio Plinium Nat. Hist. II. 88. Io. Fr. Gronovius ad lib. XLV. c. 27., Straboni adhibuit Procopium (de aedif. IV. 3. p. 72.) Wesselingius in Antonin. Itin. p. 327. addens Sponium Itin. p. 265. a Thebis Chalcidem usque M. P. XXV. aut XXVI. numerasse. Paullulum discrepat Antonin. Itin. p. 327.: „Thebis Chalcidem M. P. XXIV." Illud in disceptatione est, ex quo inde tempore continenti Boeotiae aggere ac ponte insula adhaeserit, de quo disseruerunt Dodwellus Itin. Vol. II. P. I. p. 247. sq. Sickl. et qui Dodwellum plane latuit Wassius in Thucyd. VII. 30. Vol. IV. p. 489. sq. Hanc igitur viam (*ὁδὸν τὴν ἐς Χαλκίδα* Pausan. IX. 18, 1. 19, 3. p. 63. 67. *ὁδὸν Θηβαίων εἰς Χαλκίδα* Strab. IX. p. 404.) designat auctor hymni Hom. in Apoll. v. 222. sq.: *Ἔνθεν δ' Εὔριπον διαβὰς, ἑκατηβόλ' Ἄπολλον, — ἷξες — Ἐς Μυκαλησσὸν ἰὼν καὶ Τευμησὸν λεχεποίην· Θήβης δ' εἰσαφίκανες ἕδος·*, eandemque accurate persequutus est Dodwellus l. c. p. 244. sq. Qui quod proxime a Thebis se fluvium traiecisse scribit, id apprime addicit iis, quae de Ismeni cursu confecimus. Quid quod Amphiaraus, quem secundum Ismeni ripas fugam egisse fama est, hoc ipsum iter hominibus vetustis videbatur perrexisse (conf. Pausan. I. 34, 2. p. 151. Apollod. III. 6, 8.)? Quod reliquum est, hodieque de his portis murorum partem saxaque superesse testis est Dodwellus Vol. I. P. II. p. 57.

Egresso ex urbe iuxta viam, quam a Proetidibus in Euboeam ferre per suburbium aperuimus, erat sepulcrum Me-

---

mus, Thucydides. Ceterum praestat fanum Mercurii, quam oppidum intelligere. conf. Wesseling. in Herod. IV. 88. p. 492.

lanippi Astaco nati (Aeschyl. Sept. 403. Wesseling. in Herod. p. 616.) bellica gloria florentissimi, qui quum Tydeum et Mecisteum Adrasti fratrem interfecisset (Pausan. c. 18, 1. p. 63. Herod. V. 67.) caesus est ab Amphiarao. v. Pausan. l. c. Pherecyd. fragm. XXXIX. p. 157. Tzetz. in Lycophr. 1066. Heyn. nott. ad Apollod. p. 630. Pro Mecisteo Aegialeum Adrasti filium imperite affert Scholiasta Euripidis Phoen. 1672. not. 8. p. 325. Haec qui subtiliter exposuit Valckenarius in Phoen. p. 785., postquam in fraudem nescio quam impulsus tradidit Aegialeum Tydei filium fuisse, quem patre Adrasto genitum esse omnes consentiant (v. Hellanic. fragm. CII. p. 139. sq. Hygin. Fab. LXXI. p. 122. Heyn. nott. ad Apollod. III. 7, 2. p. 643.), parum sibi convenienter interpretatus est Tryphiodori versum 160., de quo iam acutissime disceptavit Wernickius p. 178. sq. Postea Melanippo Thebis Sicyonem traducto sacellum dicatum sacraque instituta esse a Clisthene, qui id ageret, ut Adrasti Argivi hominis festa aboleret, narrat Herodotus V. 67. Ab hoc tumulo proxime aberat tumulus Tydei (Pausan. c. 18, 2. p. 63.), qui allato capite Melanippi, a quo mortiferum vulnus acceperat, cerebrum hausisse (Sext. Empir. Pyrrh. Hypotyp. III. c. 24. 208. p. 179. Salmas. ad Dosiad. Ar. sec. p. 229. sq. in Crenii Mus. Philol. et Hist. I. Burmann. in Ovid. Ib. 517.), a nonnullis etiam Melanippum ipse moribundus occidisse traditur (Barth. in Stat. Theb. VIII. 718. T. III. p. 932.). Omnia, quae ad hanc fabulam pertinent, disposuit Carolus Antonioli in libro, qui inscribitur: antica gemma etrusca spiegata ed illustrata con due dissertazione. Pisa 1757. Thebis autem sepultum fuisse Tydeum antiquitatis investigatores confirmarunt Homeri Il. XIV. 414. testimonio, quod Homeri esse negaverunt Zenodotus et Aristophanes. Euripides vero cyclicos, puto, poetas sequutus Tydeum Eleusine combustum et ossa eius Argos reportata scribit. conf. Markland. in Suppl. 899. p. 163. Addebant Thebani corpus terrae redditum esse a Maeone (Pausan. l. c. p. 63. sq.), quem Tydeus interfectis, qui sibi legatione ad Eteoclem functo et Graecorum castra repetenti insidias fecerant, omnibus unum salvum dimisisset. v. Heyn. nott. ad Apollod. III. 6, 5. p. 616. Insi-

guis vero erat is tumulus impositis tribus saxis nulla arte circumcisis (Pausan. l. c.), unde iuvat commemorare Dodwellum, quum tres fere horas consumpsisset in conficiendo itinere, quo Thebis Euboea petitur, iuxta eandem viam totidem lapides rudes offendisse. vid. Itin. Vol. II. P. I. p. 244. Exinde propinqua erant monumenta Eteoclis et Polynicis (*τύμβος ὀρθόκρανος* Soph. Antig. 1203.) a Thebanis in heroum numerum relatorum. Quibus quotiescunque ibi parentalia fierent, fama tenet non solum ignem fumumque in duas partes discessisse (Pausan. c. 18, 3. p. 94.), verum favillam etiam scissam esse in ara residuam (Ovid. Trist. V. 5, 33. sq. Senec. Oedip. 321. sq.). Et Pausanias quidem id ut crederet adductus est similitudine eius miraculi, quod praesens spectavit in Mysiae oppido Pioniis, ubi quum Pionidi civitatis conditori inferiae mitterentur, ex sepulcro fumus sponte escenderet. Res est multorum commemoratione celebrata, quos qui maximam partem recensuit Barthius in Stat. Theb. XII. 431. T. III. p. 1492. nullo id fecit habito delectu. Etenim Statius l. c., Lucanus I. 551., Cyprianus de Idol. Vanit. p. 397. Gron. hoc flammarum dissidium tum, quum Antigona Polynicis cadaver in Eteoclis rogum portasset, accidisse produnt, sed tum, quum iis parentaretur, Pausanias, Ovidius, Seneca, Bianor Anthol. Pal. VII. 396. Antiphilus ibid. 399., auctor Aetnae p. 49. Scal., Hyginus Fab. LXVIII. p. 118. et LXXI. p. 123., Ausonius Epigr. CXXXI., cuius enarrator Vinetus p. 241. utramque permiscuit narrationem. Rursus in eo a Pausania discrepant Bianor, Antiphilus, Ausonius, quod unum solum tumulum loquuntur. Contrario modo factum est, ut qui a Statii partibus stat Cyprianus rogorum mentionem inchoaret. Verum hoc mirari subit, quod ante Proetides sepulturae dati sunt fratres, quos prope Neïstas digladiatos, crematos scimus. vid. Pausan. c. 25. 2. p. 86. sq. Quodsi probaturus aliquis tumulum ante Neïstas, monumentum ante Proetides fuisse pugnabit aliud omnino esse *μνῆμα*, aliud *τάφον*, adversantes experietur Pausaniam p. 64. et Siebelisium negantem duo haec vocabula a Pausania plane seiungi (adnott. ad VII. 22, 4. 25, 7. Vol. III. p. 174. 191.). Quanquam Philostr. Imagg. II. 29. Polynicem

narrat apud Eteoclis monumentum combustum sepultumque: *Τὸν Πολυνείκην δὲ ἡ Ἀντιγόνη μέγαν καὶ κατ' ἐκείνους ὄντα καὶ ἀνήρηται τὸν νεκρὸν καὶ θάψει πρὸς τῷ τοῦ Ἐτεόκλους σήματι.* Scholiasta vero Pindari Olymp. VI. 22. p. 287. de eo adeo haec memoriae prodidit: *Πολυνείκης δὲ μετὰ Ἐτεόκλους ἐντὸς Θηβῶν ἤχθη.* Quae verba graviter corrupta nescio quomodo viris doctis obstiterint, quominus certam perviderent emendationem hanc: *Πολυνείκης δὲ μετὰ Ἐτεόκλους ἐντὸς θηκῶν ἤχθη.* Interprete utor Salmasio in Plin. Exercitt. p. 849.E.: *Θήκη non solum arcula, in qua iacebat conditum cadaver, sed etiam monumentum ipsum plurium arcarum capax; hinc monumenta hypogaea et fornicata, in quibus plures lectuli lapidei vel solia repositi condendis corporibus.* Cuius dicti fidem firmavit D'Orvillius in Charit. p. 245. testimonio Platonis de Legg. XII. 3., Astius p. 552. Strabonis hocce (V. p. 236.): *Ὑπὸ δὲ χώματι θῆκαί εἰσιν αὐτοῦ καὶ τῶν συγγενῶν καὶ οἰκείων.* Add. Creuzer. Comm. Herod. p. 67. conf. Schol. Eur. Phoen. 931. p. 202.[4]) Quae vero sepulcra a Scholiasta Pindari monstrentur, significabitur infra, ubi in monumentorum apud portas Neïstas conspicuorum descriptionem erit deducta oratio. Sed ne quod comparetur longius arcessam, Semela in Cadmea quidem eo loco, quem ab hominum accessu Cadmus septo munivit (Pausan. IX. 12, 3. p. 43. Eurip. Bacch. 10.), deflagravit, verum infra Cadmeam humata est (Pausan. c.

4) *Θήκη* et *Θήβη* quam saepe de loco controversiam habeant, docent Casaubonus Animadvv. in Athen. IV. 2. p. 245,46. Schweighaeuserus lex. Herod. v. *θήκη* s. ad II. 86 p. 231. Gaisf. et diffusius Creuzerus l. c. p. 68. 69. not. 31. p. 75. Velut scripturae in Plutarchi libro de Is. et Osir. XX. Vol. IX. p. 128. vulgatae: *τῶν ναῶν διαθέσεις — σκότια κατὰ γῆς ἐχόντων στολιστήρια Θηβαίοις ἐοικότα καὶ σηκοῖς·* qui patrocinium suscepit Schneiderus in Varron. de Re Rust. III. 1. 6. p. 492., is aperte falsus est. Nam et antegressa verba et quod proxime subsequitur *σηκὸς* (conf. Wyttenbach. in Plutarch. de Aud. Poet. p. 234.), perspicue convincunt locum deberi voci *θήκαις*, pro qua ubi semel exaratum erat *θήβαις*, altera vocabuli *θήβαις* in *θηβαίοις* transmutati culpa ultro successit. conf. Siebelis. in Pausan. IX. 1. 3. p. 3. Maasvic. in Polyaen. III. 7. 2. p. 229. Meineck. in Euphor. p. 155.

16, 4. p. 59.). Deinde quod sepulcro aram subfuisse scribit Ovidius, idem testatum est ab auctore Aetnae l. c. Hyginum autem, si hoc addere opus est, de his sacris tanquam obsoletis loqui obtinuit Munckerus p. 118. Verba Hygini haec sunt: „His cum Thebis parentaretur, etsi ventus vehemens esset, tamen fumus se numquam in unam partem convertit, sed alius alio seducitur“, quae sollicitari vetant aliquot exempla, quae sunt apud Schraderum Animadvv. ad Mus. XVII p. 301. sq. Dicam etiam de loco Minucii Octav. XVIII. p. 165. sq.: „Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum et Thebanorum permortuam fabulam transeo“, ubi Ouzelii inventum: „Thebanorum par mortuum fabulam transeo“ quum nugax et insulsum esse iudicasset Iac. Gronovius edidit: „Thebanorum par (v. Nic. Heinsius in Ovid. Met. IX. 405.), mortuam fabulam,“ *ab Minucio* aiens *hanc fabulam ad exemplum modo citari sed nequaquam ut eius fidem praestet.* At vero Rigaltius de caussa percunctatus est frustra, de qua *mortuam fabulam dicat Minucius*, *paullo ante tempora sua tota Statii Thebaide decantatam* et quae Antonini aetate adeo viguerit, ut etiam fides ei adiungeretur. Sed ut eam mortuam potuerit dicere, hoc loco si dixit temere suae ipse caussae offecit. Neque is alio animo Persarum et Graecorum narrationes omisit, quam quod Romanorum exempla potiora haberet exteris. Non me latet, qui factum sit, ut de Minucii verbis Gronovius pravum indicium faceret. Quippe is minus perspectam habuit vim vocis fabulae, qua non ea solum, quae liquet ficta esse atque commenticia, verum ea etiam significantur, quae multo hominum sermone circumferuntur, id quod planissime evincit Horatii versus parum adhuc et ne a Ruhnkenio quidem (in Terent. Hecyr. IV. 3, 14. p. 229.) intellectus: „Iam te premet nox fabulaeque Manes Et domus exilis Plutonia.“ Alia suppeditant Io. Fr. Gronovius Obss. IV. 13. p. 666. et Nic. Heinsius in Ovid. Am. I. 13, 36. Graece hoc non λῆρον, ut censet Iac. Gronovius, sed διήγημα, quod tetigit D'Orvillius in Charit. p. 480., dixisset Minucius, qui Thebanum par fabulam appellando vix dubito quin ipsum Horatium aemulatus sit. Loqui autem eundem non

de vivorum inimicitiis sed, quod ad argumentum paullo efficacius est, de mortuorum inexpiabili odio flammarumque divisione Cyprianus p. 397. confirmat, cuius oratio, ut documento est nos recte sentire, ita non habet, quo corroboretur opinio Claudii Civilis, qui loci conclamati emendationem verissimam hanc esse: „Thebanorum germanorum fabulam transeo" pronunciavit in Nov. Misc. Obss. T. I. p. 138. — A sepulcris Eteoclis et Polynicis stadia ferme quindecim in via progresso erat Tiresiae monumentum, vel potius tumulus honorarius (Pausan. c. 18, 3. p. 64. sq.), quando vatem ne Thebani quidem in contentione posuerunt vita functum esse in agro Haliartiorum et conditum ad Tilphosam fontem Apollini sacrum. vid. Pausan. l. c. et VII 3, 1. Vol. III. p. 140. IX. 33, 1. Vol. IV. p. 121. Strab. IX. p. 413. Aristophan. ap. Athen. II. p. 41. F. Eustath. in Hom. Il. XXII. p. 1362, 27. et in Odyss. X. p. 410, 49., cum quibus contulisse non poenitebit Gellium It. of. Gr. p. 152. Dodwell. Vol. II. P. I. p. 242. Haec res non satis deliberata et verba Scholiastae Soph. Antig. 127. ad arbitrium explicata id momenti fecerunt, ut Welckerus de Cret. col. p. 42. p. 44. apud Thebas Tilphosium templum extitisse narraret. Graecorum autem mos hominibus alibi sepultis inanes tumulos excitandi pernotus est studio Kirchmanni de Fun. III. 27. p. 545. Meursii in Lycophr. p. 194. sq. Goensii de Cepotaph. I. 3. p. 22. sq. — Hinc digresso apparebat fons Oedipodia duobus sepulcris nobilis, altero Hectoris, cuius memoria illustrata est a Muellero Orchom. p. 395. et Dissenio Explic. Pindar. Isthm. VI. p. 538., altero Asphodici Thebani. v. Pausan. c. 18, 4. p. 65. Et Hectorem quidem Thebis conditum testificatur Aristoteles qui dicitur huius epigrammatis auctor: *Ἕκτορι τόνδε μέγαν Βοιώτιοι ἄνδρες ἔτευξαν Τύμβον ὑπὲρ γαίης σῆμ᾽ ἐπιγιγνομένοις.* Vid. Pepl. p. 16. Cant. Anal. Brunck. T. I. p. 182. Anthol. Pal. II. p. 755. Fertur enim aliquando, quum in Graeciam pestilentia graviter incidisset, oraculum respondisse: malorum finem non fore, nisi Hectoris ossibus ex Ophrynio in eam urbem deportatis, quae in belli adversus Troianos gesti societate non fuerit. Itaque Thebis, quarum cives ad Troiam non militassent,

fons Oedipodia sepulturae locus destinatus. Sic haec quum Tzetza schol. in Lycophr. 1194. et 1208. prodidisset, idem dum ad Lycophronem diligentius se applicat, solos Thebanos bello ac pestilentia oppressos ab Apolline opem petivisse refert scholio in v. 1210. Concinit Aristodemus ap. Schol. Hom. Il. XIII. 1., quo auctore Thebani oraculo iussi sunt transportare ἐξ Ὀφρυνίου (hoc debetur Meursio in Lycophr. p. 308.) τῆς Τρωάδος τὰ Ἕκτορος ὀστᾶ — εἰς τὸν παρ' αὐτοῖς καλούμενον τόπον Διὸς γονάς. [5]) Auxerunt rem Thebani dictitaruntque Hectoris consecratione non calamitatum declinationem, sed imperii sempiternam opulentiam ac prosperitatem se redemisse ab ipso Iove interprete Apolline monitos, ut rebus suis bene consulere ne negligerent. Signo erat oraculum, quod legitur apud Pausaniam c. 18, 4. p. 65. Sed quoniam caussam cur apud Thebanos reposita fuerint ossa Hectoris Tzetza attulit, non praetereundum est nomen Artemidori Oneirocr. V. 65., de quo nonnulla Delrius in Senec. Agam. 182., qui Thebanos negat Troiam Graecis suppetias profectos esse. Quamquam Diodorus (XIX. p. 696. B.), Pausanias (IX. 5, 7. p. 22. sq. conf. 4, 2. p. 15 I. 29. 4. p. 128.) et Dictys Cretensis (I. 17. p. 36. 14. p. 30.) Thebanos duce Thersandro (v. Dederich. Obss. in Dict. p. 394. p. 402.) ei expeditioni interfuisse scriptum reliquerunt. Videlicet, quorum virtutem Homerus silentio texit, ii bello dudum sedato in amplissimae gloriae societatem nescio qua arte irrepserunt. Conf. Krus. Hellad. Vol. II. P. I. p. 621. Praeterea de loco agri Troiani, unde in Graeciam ossa deducta sint, scriptorum ea est controversia, ut Ophrynii (v. Potter. in Lycophr. 1194. et Mueller. Vol. II. p. 951.) eius tumulum et lucum fuisse auctores sint Aristodemus, Strabo (XIII. p. 595.), Tzetza, verum Dictys (add. V. 8. p. 196. conf. Hom. Il. XXIV. 797. sq.), Malalas, alii, quos nominat Dederichus Obss. in Dict. IV. 1. p. 443., prope urbis Troiae portas vel apud monumentum regis Ili eum conditum perhibeant. Ex Asia igitur avectis ossibus Hectori in heroum numerum adscito ex Troianorum more, quem meminerunt

5) De hoc loco alias disputabitur copiosius.

Pausanias (III. 18, 9. Vol. II. p. 96.), Lucianus (Deor. Conc. 12. Vol. IX. p. 189.), Athenagoras (Or. Apolog. ap. Casaubonum in Athen. III. 20. p. 196, 23.), Thebani inferias afferebant. vid. Lycophr. 1212. sq. orac. ap. Pausan. IX. 18, 4. p. 65. v. 4. Quibus rite perpensis minus etiam mira, puto, fuisset visa Dissenio (comm. p. 589.) mentio Hectoris a Pindaro iniecta in Isthm. VI. 32. Aliquoties autem usu venit, ut clarissimorum virorum et mulierum reliquiae, unde salutem publicam suspensam crederent, in alienas terras traducerentur. vid. Pausan. IX. 29, 3. p. 103. sq. 38, 3. p. 140. sq. Plutarch. de Gen. Socr. V. Vol. X. p. 305. Creuzer. Comm. Herod. 23. p. 298. sqq. — Alterum monumentum erat Asphodici sive, si audis Apollodorum, Amphidici, a quo Parthenopaeum Talai filium (Creuzer. Comm. Herod. p. 218. not. 200. Schellenberg. in Antimach. Reliqq. p. 77.) interfectum narrabant Thebani (Pausan. 18, 4. p. 65. Apollodor. III. 6, 8.); nam auctorem cyclicae Thebaidis (Pausan. l. d.) sequuti Euripides (Phoen. 1157.) et quem neglexit Leutschius Theb. Cycl. Reliqq. p. 60. not. 247. Aristodemus (ap. Schol. Eurip. p. 247.) Parthenopaeum scribunt saxi a Periclymeno Neptuni filio iacti vulnere ictum ad portas Crenaeas periisse. In alia omnia abit Statius Theb. IX. 855. sqq. eum a Dryante hasta confodi faciens. Fuisse vero illum tumulum ad caput fontis Oedipodiae patescit ex iis, quae de vocabulorum κρήνη et πηγὴ differentia scientissime argumentatus est Siebelisius ad Pausan. I. 14, 1. adnott. p. 44. Conf. Pausan. II. 2, 7. p. 212. VIII. 22, 2. Vol. III. p. 347. IX. 10, 5. Vol. IV. p. 37. IV. 35, 6. Vol. II. p. 300. Schol. Eurip. Phoen. 1296. p. 270.

Ab his inde monumentis quum in via, quae Chalcidem est, ita perrexerit Pausanias, ut deverticulo in laevam partem facto Harma et Mycalessum profectus littus Euripi obiret, nostri memores instituti tum demum nos iterum ei socios comitesque praebemus, ubi Thebas repetivit. Ad portarum Proetidum igitur dextram partem reversus adivit Iolai gymnasium ac stadium (Schol. Pindar. Nem. IV. 32. p. 701.), aggerem terreum (Pausan. c. 23, 1. p. 89.), qualia cum plurimorum

essent Graecorum, tum stadia fuerunt Epidaurium Olympiumque (Pausan. l. d. et II. 27, 6. Vol. I. p. 323. VI. 20, 5. Vol. III. p. 94.). Extra urbem hoc gymnasium fuisse confirmat Xenophon Hist. Gr. V. 2, 25.: *Ὡς δ' ἐγένοντο ἐν ταῖς Θήβαις ἐστρατοπεδεύσαντο μὲν ἔξω τῆς πόλεως περὶ τὸ γυμνάσιον*, ubi quod significetur gymnasium non fugit Schneiderum p. 335. Idem intelligendum est in loco Plutarchi (Reip. Ger. Praec. III. Vol. XII. p. 141.) hoc: *Ἐπαμεινώνδου ἀναστάντος ἐκ τοῦ θεάτρου καὶ διὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς τὸ γυμνάσιον ἀπιόντος*, qui locus alibi pertractabitur. Ultra dextram stadii partem fuit hippodromus (Pausan. c. 23, 2. p. 80. Dissen. comm. in Pindar. Pyth. II. 3. p. 184.) et in stadio medio (in gymnasio secundum Durin l. mox cit.) Iolai sepulcrum a Pindaro egregie celebratum (Schol. Olymp. IX. 143. p. 396.), de quo loquuti sunt Boeckhius Explic. Olymp. VII. p. 176. et Dissenius Nem. IV. p. 382. *Ἡρῷον* appellat Pausanias p. 80., quod Thebani non minoribus Iolaum colerent honoribus (Staveren. in Hygin. Fab. XIV. p. 50. add. Plutarch. Amator. XVII. Vol. XII. p. 39.), quam Athenienses (Suid. v. *Ἰόλαος*) aut Siculi et Sardi (Pausan. X. 17, 4. p. 237. Diodor. IV. p. 231. C. p. 236. C.). Quo pertinere Phavorini glossam *Ἰολάειον· ἱερὸν* (sic enim integrandum est pro *Ἰόλλειον* vid. Lobeck. in Phrynich. p. 370.) non temere suspicatus est Siebelisius adnott. ad Pausan. Vol. IV. p. 73. p. 211. sq. Fuit vero is tumulus honorarius, ut testis est Duris ap. Schol. Pindar. Nem. IV. 32. p. 701.; iustus et verus enim apud Sardos, ubi Iolaus deducta Thespiensium hominum et Atheniensium colonia et civitate optimis institutis temperata (idem gymnasia ampla et magnifica exstruxisse fertur) vita functus est. vid. Pausan. VII. 2, 2. Vol. III. p. 134. IX. 23, 1. p. 80. X. 17, 4. p. 237. Aristot. Mir. Ausc. CIV. p. 207. Diodor. IV. p. 235. B. Duris l. c. Fatebantur id ipsi Thebani (Pausan. Vol. IV. p. 80.), quamquam adversari Pindarus Pyth. IX. 78. sq. videtur, a quo Iolaus Eurystheo occiso Thebis terra conditus esse dicitur. De Eurystheo anceps narratio est, quem interfecit Iolaus aut quum Heraclidas vindicaturus Iovis beneficio ad breve tempus in lucem ex inferis rediisset aut quum senex et affecto corpore ab Iove brevem virium vi-

gorem impetrasset. Vid. Staverenius in Misc. Obss. Vol. X. T. III. p. 384. sq. et Boeckhius Expl. Pind. p. 325. Facile intelligitur, qui Pausanias et Pindarus conciliari queant, quando Iolaus bis mortalitate interceptus diversis locis sepultus esse tradi poterat; certe impedimento est Pausanias, quominus a Pindaro eam narrationem, quam secundo loco posuimus, spectari statuamus cum Odofr. Muellero Dor. I. p. 55. Huic monumento sepulcrum avi Amphitryonis, quem Thebis elatum esse contestatur Pausanias I. 41, 1. p. 178., memoratum Pindaro (Pyth. IX. 81. et Nem. IV. 20.) erat adiunctum. v. Duris l. d. Schol. Pind. p. 397. (*κοινὸν σῆμα*) p. 663. Si fides est Scholiastae in v. 145. p. 633., haud procul hinc in via (*ἐν τῇ ἀμαξιτῷ*), ut in perpetuum calcaretur, Eurystheum humaverant, cuius monumentum apud petram Moluridem erectum fuisse prodidit Pausanias I. 44, 14. p. 199. Add. Heyn. ad Apollod. II. 8, 1. p. 499. Amphitryonis vero tumulum eundem atque Alcmenae fuisse, quam ex vano affirmaverit Dissenius, a nobis supra dictum est. In hoc igitur gymnasio circum Amphitryonis sive Iolai sepulcrum (Pindar. Nem. IV. 20. Olymp. IX. 98. Duris l. d. Schol. Olymp. cit. v. 148. et 143. p. 397. p. 396.) ludi Iolaia sive Heraclea (Schol. Olymp. XIII. 148. p. 467.) agebantur. Denique subveniendum est Arrhiani Exp. Alex. I. 7. interpretibus, quos inter se contendentes, utrum lucum an fanum Iolai Arrhianus *τέμενος Ἰολάου* dixerit, non diremit Burmannus Catal. Argon. p. CXXV. Harl. Lucus quidem (sed notio luci voce *τέμενος* non circumscripte continetur) quum a nemine contestatus reperiatur, equidem indicamus rectissime a Freinshemio in Ind. Curt. Pausaniae *ἡρῷον* huc advocatum; *τέμενος* enim, quae area est templo aut arae undique circumdata (v. Wesseling. in Herod. III. 142. p. 411.), quum indicaret omnem locorum sanctitatem vel monumentorum decora, in quibus numinis arbitrium versari crederetur (vid. Bernhardyus in Dionys. Perieg. 13. p. 528. conf. Perizon. in Aelian. Var. Histt. VI. 1. T. I. p. 336. Lennep. in Phalar. Epist. p. 78.), aptissime ab Arrhiano usurpatum est de fano Iolai spatiisque gymnasii, stadii, hippodromi circumiectis. conf. Pausan. II. 18, 1. p. 275. 32, 1. p. 347. et III. 12, 7. p. 62. Vol. II. Lo-

cus est autem hic: (Ἀλέξανδρος) ἀφικνεῖται ἐς Πελλίναν τῆς Θετταλίας. Ἔνθεν δὲ ὁρμηθεὶς ἕκτῃ ἡμέρᾳ ἐσβάλλει ἐς τὴν Βοιωτίαν· ὥςτε οὐ πρόσθεν οἱ Θηβαῖοι ἔμαθον εἴσω Πυλῶν παρεληλυθότα αὐτὸν, πρὶν ἐν Ὀγχηστῷ γενέσθαι ξὺν τῇ στρατιᾷ πάσῃ —. Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος ἐξ Ὀγχηστοῦ ἄρας τῇ ὑστεραίᾳ προςῆγε πρὸς τὴν πόλιν τῶν Θηβαίων κατὰ τὸ τοῦ Ἰολάου τέμενος. Οὗ δὴ καὶ ἐστρατοπέδευσεν, ἐνδιδοὺς ἔτι τοῖς Θηβαίοις τριβὴν, εἰ μεταγνόντες ἐπὶ τοῖς κακῶς ἐγνωσμένοις πρεσβεύσαιντο παρ' αὐτόν. Οἱ δὲ τοσούτου ἐδέησαν ἐνδόσιμόν τι παρασχεῖν ἐς ξύμβασιν, ὥςτε — ἠκροβολίζοντο ἐς τὰς προφυλακάς —. Καὶ Ἀλέξανδρος — τῇ ὑστεραίᾳ ἀναλαβὼν τὴν στρατιὰν πᾶσαν καὶ περιελθὼν κατὰ τὰς πύλας τὰς φερούσας ἐπ' Ἐλευθεράς τε καὶ τὴν Ἀττικὴν — ἐστρατοπέδευσεν οὐ πολὺ ἀπέχων τῆς Καδμείας· ὥςτε ἐγγὺς εἶναι ὠφέλειαν τῶν Μακεδόνων τοῖς τὴν Καδμείαν ἔχουσιν. In his singulariter cessavit perspicacitas interpretum omnium. Animadvertantur vero haec. Alexander Thebanos ad officium reducturus Onchesto profectus in itinere haud procul ab urbe ad Iolai fanum substitit deditque Thebanis mutandi consilii spatium (Diodor. XVII. p. 493. D. Plutarch. vit. Alex. XI. Vol. IV. p. 265.). Substitit igitur in ea via, quae est a portis Neïstis, de qua mox verba faciemus. Verum ad Proetides signa constituta fuisse, Arrhiano et Pausania suasoribus contra monet Schmiederus p. 20. Iam cogitatione tibi finge aliquid ad fidem aeque difficile atque hoc: ducem dum urbem aggrediendi etiamnum omnem moram faciat ita circumvenire, ut parte occidendali relicta, ad quam primum accesserat, eam petat, quae ad ortum solis spectat. Hoc tamen animo complexus esse Arrhianus creditur dumtaxat ab iis, qui verba προςῆγε πρὸς τὴν πόλιν τῶν Θηβαίων κατὰ τὸ τοῦ Ἰολάου τέμενος sic fere scripta oculis usurparent: (ὁ δὲ Ἀλέξανδρος ἐξ Ὀγχηστοῦ ἄρας) προςῆγε περιελθὼν τὴν πόλιν τῶν Θηβαίων πρὸς τὸ τοῦ Ἰολάου τέμενος. Sed hoc ipsum concedatur cum exercitu ad Proetides Alexandrum restitisse. Quid postea? A Proetidibus postero die Alexander castra promovet, quo praesentius sit auxilium Macedonibus in Cadmea collocatis. Equidem in-

tervallum quo arx a Proetidibus seiuncta fuerit, non dimetior; certo adeo modicum fuit, ut amplioris cuiusque exercitus castra ante Proetides posita facile ad ipsam usque Cadmeam distenderentur. Illud igitur maximopere mirere, quid consilii sequutus rex non continuo itinere ad loca Cadmeae subiecta contenderit, sed ad Proetides arci satis propinquas agmen sustinuerit, proximo demum die illuc processerit. Et nostrae intelligentiae vim hoc fugit, neque Arrhianus id cogitavit; nullo enim pacto qui a Proetidibus ad arcem pergit *ἀναλαβεῖν τὴν στρατιὰν πᾶσαν καὶ περιελθεῖν* dici potest. Polyaenus quidem recte de Antipatro IV. 3, 12. p. 333.: *Ἀντίπατρος ἐν τῷ καιρῷ τῆς μάχης τὴν κεκρυμμένην δύναμιν ἀναστήσας κυκλῷ περιελθών, ᾗ σαθρὸν καὶ ἀφύλακτον ἦν τὸ τεῖχος, ταύτῃ κατελάβετο τὴν πόλιν.* Accedit aliquid lepidum et vero ridiculum. Qui ad Proetides subsedit, is inde se commovet propius Cadmeae accessurus. Ergo relictis Proetidibus Cadmeam praetergreditur; non hic locum capit, immo ad Electras procedit; ibi subsistit, ibi castra metatur; ecce, iam ille tam prope ab arce abest quam prope abfuit, quum ad Proetides moraretur. Quodsi ad Electras exercitum constitutum esse oportuit; a Neïstis brevior via erat praeter occidentale Thebarum latus. I nunc et narra Alexandrum ad Iolai fanum tendentem. At fuit aliud Iolai *ἡρῷον*, aliud *τέμενος*; at fuit *ἡρῷον* ante Proetides, *τέμενος* ante Neïstas; explicata ratio est; a Neïstis Alexander movet, circumit urbem, signa constituit ad Electras, subest Cadmeae. Audio; tu vero porro nitere et dic esse aliquid, quod sit sole illustrius. Equidem haec non probabiliter, sed, credo, vere argumentatus super eo fano, quod hic ab Arrhiano commemorari potuerit, infra coniecturam periclitabor. Nunc ad Pausaniam revertar. In hippodromo igitur, quem praediximus, Pindari sepulcrum erat (Pausan. c. 23, 2. p. 80.), cui quum ab Atheniensibus carmine aliquando collaudatis statua posita fuerit (Pausan. I. 8. 5. p. 33. Aeschin. ap. Heyn. Pindar. Fr. p. 75.), quam dicit Cuperus Consecr. Hom. p. 1., a Thebanis posita fuit nulla, id quod expresse refert Athenaeus I. p. 19. B.

De portis Neïtis Pausaniae locus est hic (IX. 8, 3. p. 31.): *Τὰς Νηΐτας ὀνομασθῆναί φασιν ἐπὶ τῷδε· ἐν ταῖς χορδαῖς νήτην καλοῦσιν ἐξ αὐτῶν· ταύτην οὖν τὴν χορδὴν Ἀμφίονα ἐπὶ ταῖς πύλαις ταύταις ἀνευρεῖν λέγουσιν.* Cui lectioni quum status controversia optimo iure moveri posse visa esset Valckenario et Clavierio, hic sub exemplo Kuhnii commendavit mutationem hanc: *νήτην καλοῦσι τὴν ὀξυτάτην*, ille (in Eurip. Phoen. p. 730.) grammaticorum potius ope fretus, quam vestigia litterarum, quibus institit Clavierius, persequutus: *νήτην καλοῦσι τὴν ἐσχάτην*, quo invento nihil exploratius habuit Car. Gottl. Kuhnius in Ind. Graecit. in Aelian. Var. Histt. p. 424. Vulgatam tamen scripturam huic emendationi anteposuit Sturzius in Pherecyd. p. 130. auctorque extitit Siebelisius in Pausan. l. d. p. 30., ut si quis illam anteponit is orationis exilitatem mitiget tacito additamento voculae *τινά*. Quo consilio nihil equidem movemur. Namque hic subest graecae latinaeque proprietatis constructio, cuius et usus latissime patet et observatio multis locis perquam impeditis lucem affert, quae nunc percognita est opera Wyttenbachii in Platon. Phaed. p. 285., Schaeferi in Ind. Graecit. ad Gregor. Cor. p. 986., Dissenii comm. in Pind. Nem. IX. 41. p. 492. Ut ab exemplorum copia satis ampla parcam, Platonis verba quae leguntur in Phaed. p. 107. C.: *οὐχ ὑπὲρ τοῦ χρόνου τούτου μόνον, ἐν ᾧ καλοῦμεν τὸ ζῆν* ad sententiam commodissime sic inverteris: *ἐν ᾧ τὸ καλούμενον ζῆν ἐστίν.* Hoc considerato arduum non est definire Pausaniae verborum sensum aliquem haud plane absurdum: „in chordis est, quae postrema earum proprie appellatur.“ Fortasse tamen praestat Pausaniae reddere *τὴν νήτην.* Quam appellationis rationem minus explicate tradit Scholiasta Eurip. Phoen. 1104. p. 232.: *Νηΐται) ἐπεὶ νέαται εἰσίν*, nec disertius Hesychius p. 675.: *Νηΐσι· ταῖς πύλαις ταῖς πρώταις καὶ τελευταίαις*, quae ab eo mutuatus est Phavorinus p. 525. Quod ibi reperitur *Νηΐσι*, ab Heinsio quidem et Abreschio Animadvv. ad Aeschyl. Vol. I. p. 106. transmutatum est in *Νηΐταις*, mihi vero facilius et rectius mutari videtur in *Νηΐτησι* propterea, quod Hesychio verisimile est obversatum fuisse ver-

sum Aeschyli Sept. 456., cuius Scholiastae p. 191. Schuetz. eadem facienda est medela. Quae forma enim placuit Amasaeo[6]) et Albertio Νηΐτιδες, ea unius Aeschyli libris nititur tamquam fundamento sed adeo dubio, ut de gravissimis caussis disturbandum sit. Et vere dici Neïtas coarguit vel consensus Euripidis (Phoen. 1194.), Statii (Theb. VIII. 354.), Pausaniae (c. 8, 3. p. 31. 25, 1. 4. p. 86. 88.). Iam quaeret aliquis, qui vox νέατος in hanc speciem, quae sub oculis posita est, diduci potuerit. Nec sane videtur esse expeditum, quod recta via respondeatur; nam ut ei voci litterae vocalis accessio legitime facta sit, non mediocriter laborabis, ea cur producatur, caussam expiscaturus. Quare circumeundum est per quasdam ambages, quas et codex Pausaniae Mosquensis, qui offert in c. 25, 4. Νηϊστῶν, in c. 8, 3. Νῆσας, et Lactantii libri pandunt, qui penes Turgotium fuerunt (p. 538.), in quibus consignatum est (ad. Stat. l. d.) Neïstae. Nehistae. Vix etiam me contineo, quin in eo, quod vulgo editur in Pausaniae c. 25, 1. 4. Νηϊτέων, quod ad Iones abire iubeo, latere credam sigma litteram (conf. Valcken. Annott. ad N. T. p. 238. Iacobs. Additt. Animadvv. in Athen. p. 258.). Quid enim? Nonne temerariae levitatis postulari debet, si quis recusat etiam hinc id assumere, quod ministrat Hesychius optimus veterum formarum custos? Et ille quidem p. 675. haec: Νήϊστα· ἔσχατα, κατώτατα, quae decerpta in suum glossarium intulit Phavorinus. Vides νήτην et νηΐστην significatu se aequiparare, differre forma. Νήϊστος autem accepimus pronunciatum Νήϊττος ore Thebanorum, quibus cum Spartanis et eorum colonis Tarentinis id commune esset, ut *litteram σ sequente τ in τ mutarent*. Eam rem suo more edisseruit Valckenarius in Eurip. Phoen. 1671. p. 561., cuius copiis supplementum scripsit Boeckhius in Corp. Inscr. Gr. Vol. I. P. V. c. 1, 12. p. 724. Contrario modo accidit, ut quum apud Thucydidem extet νηΐτης II. 24. IV. 85.

---

6) Adde, si tanti est, Delrium in Senec. Oedip. 130. (Netides), Natalem Comitem Mythol. VIII. 15. p. 891. Wech. (Neitis), Tiraquellum in Alex. ab Alexandr. Gen. Dier. lib. IV. 16. T. I. p. 1074., Dodwellum Itin. Vol. I. P. II. p. 54. sq. Hobhousium Vol. I. p. 280., alios.

apud Hesychium sit p. 676. νηΐστης στρατός. Itaque in posterum illud tenebitur, in voce Neïtae aut τ geminandum, ut Boeotorum usus a vicinis Atticis adscitus sit (conf. Hemsterhus. in Lucian. Ind. Voc. 7. p. 309. 8. p. 312. sq. Vol. I.), aut inserendum σ esse. Sed dixit Hesychius Neïstas esse *τὰς πύλας τὰς πρώτας καὶ τελευταίας*. Nove hoc videbatur et tam confuse, ut verba ultima *καὶ τελευταίας* silentio premeret Abreschius l. c. Nihil succurrit, quod aeque idoneum videatur atque illud: Hesychium hoc ita posuisse, ut ad citharae chordas cogitationem referret, quarum prout ordinem ducis ex dextra parte vel sinistra, νήτην aut primam habes aut infimam. Ceterum hic locus ob singularem particulae *καὶ* potestatem iis se addit, qui coacti sunt a Sturzio in Hellan. Fr. p. 217. Amphionis autem memoria quum Neïstarum nomini semel adhaesisset, alii eas a Neïde Amphionis et Niobae filia appellatas memorarunt (Schol. Eurip. Phoen. 1104. p. 232.), alii a Neïde Zethi et Aëdonis filio (Paus. IX. 8, 3. p. 31. Schol. Hom. Odyss. XIX. 523.). Filiam tamen Zethi Neïdem facit Pherecydes Fr. XXIX. p. 130. idque convenientius iudice Valckenario in Phoen. p. 730. Nihil de Neïdis ortu Scholiasta Aeschyli Sept. p. 189. Quae ad veram vocabuli originem quam apposite dicta sint non definio. Viderint isti. Denique nominis auctorem esse Minervam Saiticam, quae Neïth vocetur, Iablonskio Opp. T. I. p. 244. Wat., Minervam Νηΐτιν, nimirum virginalem (νέαν) adhuc parum cognitam, Schwenckio in Etymologicis Memoriis p. 231. nuper placuit, quorum commenta, ut quae confutari non ita necesse sit, satis confutavit Siebelisius in Pausan. p. 30. Meam quidem qualemcunque sententiam plene explicare nunc supersedeo. Illud unum iuvat recolere, quod a solo Apollodoro (III. 6, 6.) portae Oncaides et Ogygiae discretae videntur. Erroris inde Apollodorum insimulavit Muellerus Orchom. p. 486. Sed quia ab eodem scriptore, quas reliqui omnes memorant, omissae sunt portae Neïstae, Porsonus in Eurip. Phoen. 1150. p. 83. ex. Lips. hoc posuit: *Apollodorum scripsisse primo* τὰς Ὠγυγίας ἢ Ὀγκαΐδας, *deinde* τὰς Νηΐτας *suo loco, sed* Ὀγκαΐδας *omissum, postea in margine repositum, sede sua alterum illud ex-*

pulisse, id quod cum Reisigio amplexus est Schoenius l. c. p. 155. not. Mihi vero longe probabiliora consequutus esse Valckenarius videtur in Diatr. de Aristob. Ind. XXXVIII. p. 120. not. 30.: *Apud Apollodorum pro* τὰς Ὀγκαΐδας *codd. mss.* Ὀχνηΐδας *(testis est Heynius* p. 618.) *praebent; legerim* Νηΐτας· *nam habet et* Ὠγυγίας· *Aschyli memor sciolus nomen vitiasse videtur.* Mitto Dodwellum, qui Neïstas et Oncaeas nihil differre fide Apollodori tradere sustinuit in Itin. Vol. I. P. II. p. 57. Atque haec quidem de eius portae appellatione; situm declarat Pausanias. In via enim quae ex ea est (*κατὰ τὴν ὁδὸν ἀπὸ τῶν πυλῶν τῶν Νηΐστῶν* c. 25, 4. p. 88.) ab Herculis signo stadia progressis fere quinque et viginti lucus est Cabiriae Cereris et Proserpinae (c. 25, 5.), hinc (itinere dextrorsum flexo, sine idonea ratione scripsit Muellerus Orchom. p. 482.) stadia circiter septem emensis Cabirorum templum occurrebat (ibid.). Ab hoc inde templo qui recta pergunt, deveniunt ad montem Sphingium (c. 26, 2. p. 91.), a quo quindecim stadia abest urbs Onchestus (ibid. 3. p. 92. conf. Arrhian. Exp. Alex. I. 7.), sed qui in sinistram partem se convertunt, stadiis circiter quinquaginta confectis Thespias attingunt (Pausan. c. 26, 4. p. 92. sq.). Et Pausanias quidem Thespias devertit, per quas ex superioribus his partibus via Plataeas ferebat (Herod. VIII. 50. Plutarch. vit. Lysandr. XXIX. Vol. III. p. 171.) praeter pagum Eutresin (Stephan. Byzant. p. 188, 24.), quae via *ἡ κατὰ Θεσπιὰς πάροδος* vocatur Polyaeno (conf. Xenoph. Hist. Gr. V. 4, 48. Diodor. XV. p. 350. D.); Thespiis igitur reversus Pausanias visit Haliartum (c. 32, 4. p. 117.), Alalcomenas (c. 33, 4. p. 122.), Coroneam (c. 34, 1. p. 124.). A Coronea inde adibantur Lebadea, Chaeronea, Panopeus, quo iter habuisse Pythicos Atheniensium legatos supra diximus p. 6. (*ὁδὸν τὴν ἐπὶ Λεβάδειαν* Corp. Inscr. n. 1569. c. v. 5. 18. p. 746. conf. Dodwell. Class. Tour. I. p. 235. Add. Pausan. X. 4, 1. p. 176.). Atque haec erat *ὁδὸς ἡ ἐπὶ Φωκέων*, de qua quae protulerunt Valckenarius in Eurip. Phoen. p. 679. et Siebelisius in Pausan. IX. 12, 1. p. 39. magis etiam illustrantur locis Plutarchi vit. Lysandr. XXVIII. p. 169. vit. Agesil. XVII. Vol. IV. p. 97. Diodori XV. p. 368. A.

Polyaeni V. 16, 1. p. 495. Conf. Herod. VIII. 34. Liv. XXXIII. 1. Sed impediebant in has regiones proficiscentem valles interiectae viarumque angustiae et anfractus (Xenoph. Hist. Gr. III. 5, 20. Polyaen. II. 1, 24. p. 133. sq. et Frontin. I. 4, 3. Polyaen. V. 16, 1. p. 495. Diod. Liv. ll. cc.). Itaque non obscurum est, ex quibus portis malo omine egressus recta Coroneam contenderit Epaminondas cum Cleombroto rege proelio congressurus (Diodor. XV. p. 367. D. p. 368. B.). Quippe eam ad urbem e Neïstis iter patebat.

Conspicuum erat autem ante Neïstas primum sepulcrum Menoecei, qui quam nobili leto extinctus quibusque honoribus affectus sit, nunc non tempus est enarrare. Sed quibus opus est, ea suppeditant Simsonus Chron. A. M. 2785., Davisius in Cic. Tusc. Dispp. I. 48., Ionsius Epist. ad Gud. p. 215. sq. In eo igitur tumulo enata erat malus punica, cuius poma simul ut maturuerant rupto exteriore cortice sanguinis quiddam simile exerebant, quod miraculum visum a Pausania (c. 25, 1. p. 86.) perscriptu dignum habuit Barthius in Stat. Theb. X. 751. T. III. p. 1244. Eo autem loco, in quem publico funere (Schol. Eurip. Phoen. 1319. not. 10. p. 274. Stat. Theb. X. 785. sq. conf. Goens. de Cepotaph. VI. 3. p. 145.) Menoeceus elatus est, Thebanorum regum sepulcra fuisse docet Statius Theb. X. 788. sq.: „Hi sertis, hi veris honore soluto Accumulant artus patriaque in sede reponunt Corpus adoratum“, quae vetus Scholiasta ap. Barth. p. 1254. sic interpretatus est: „Maiorum suorum sepulcris inferunt, qui fuerunt reges Thebanorum.“ De iisdem sepulcris Scholiasta Pind. Ol. VI. 22. p. 287., cui pristinae scripturae integritas supra a nobis restituta est, tamquam de sede, in qua repositus Polynices, cogitationem suscepit, utpote qui hoc probe animo teneret, non longe a tumulo Menoecei Eteoclem et Polynicem occubuisse mutuo ictu transfixos. Cuius certaminis ut maneret memoria, pila ibi erecta erat super imposito scuto lapideo (Pausan. c. 25. 2. p. 87.), cuiusmodi columna insigne fuit Epaminondae sepulcrum (id. VIII. 11. 5. Vol. III. p. 313.). De loco pugnae in eandem

cum Pausania sententiam videtur concedere Statius, apud quem *Eteoclea mittunt Neïstae* (VIII. 354.); aliter est apud Aeschylum Sept. 628. et Euripidem Phoen. 1123., qui Eteoclem faciunt portas Crenaeas tuentem. Quare Schoenius p. 159., qui ab Euripide et Aeschylo omnia e rerum veritate proponi sumpsit, ne ab illis aliquid novi in constanti Thebanorum fama motum esse cogeretur fateri, rationibus quibusdam ab Reisigio initis usus ius poetarum tragicorum et Pausaniae ita aequavit, ut campum, in quo fratres perierint, medium portis Crenaeis et Neïstis interiacuisse pronunciaret. Quo invento non est quod sibi ille placeat. Ait enim Euripides v. 1570. sq. (conf. Markland. in Suppl. 401. p. 102.) Polynicem omissa Crenaearum expugnatione cum fratre in singulare certamen descendisse ante portas Electras: *Εὗρε δ' ἐν Ἠλέκτραισι πύλαις τέκνα Λωτοτρόφον κατὰ λείμακα λόγχαις Κοινὸν ἐνυάλιον Μάτηρ.* At fortasse leve id est; decertarunt ante Crenaeas medias inter Electras et Neïstas. Ergo is ipse memoria falsus est, qui falli negatur. Sed conficient Schoenium vel ea, quae infra proferentur. Omnis haec regio Neïstis praetenta vocabatur *Σύρμα Ἀντιγόνης*, *quoniam quum Polynicis cadaver tollere* — sublatum tamen scribit Philostratus Imagg. II. 29. — *nequisset*, *illud protractum in ardentem Eteoclis coniecit pyram*, quae verba sunt Caelii Rhodigini Lectt. Antiq. XXI. 21. p. 1179. B. Pausania (c. 25, 2. p. 87.) duce aliquot monumentorum descriptionem eo loco persequuti. Statius denique, qui in Ismeni vicinia id evenisse finxit, voluit tamen hunc campum pro consecrato haberi, si Barthius T. III. p. 1496. sq. recte statuit hanc fuisse antiquam versus 447. Theb. lib. XII. formam: „Vix ea, quum subitus campos tremor altaque t e s q u a Impulit.“ De qua scriptura liberum unicuique iudicium esto. In eodem tractu locus monstrabatur, in quo Iuno dolo Iovis decepta infanti Herculi mammam praebuisse tradebatur (Pausan. l. c.). Secus Diodorus (IV. p. 217. A. B.), qui ab Alcmena Iunonis invidiam verita narrat puerum in eo campo, qui *πεδίον Ἡράκλειον* appellaretur, expositum, sed Minervam, quum forte eo devenisset, infantis admiratione captam Iunoni auctorem fuisse, ut ei cum lacte vitam redderet. Ple-

risque quidem circuli lactei originem scrutatis videbatur hoc in coelo accidisse (v. Muncker. in Hygin. Poet. Astron. II. 43. p. 418. Needham. et Niclas. in Geopon. XI. 19. p. 822.); verum Thebani, quo patriae gloriam cumularent, Iunonem et sugentem Herculem de coelo in terram evocarunt. Hinc traiecto amne Dirce Pausanias in suburbium pervenit et ad Pindari aedes, quibus suberat Panos fanum et templum Rheae a Pindaro dedicatum (Pausan. c. 25, 3. p. 87. Schol. Pindar. Pyth. III. 139. p. 534. Boeckh. Parthen. fr. II. p. 591. sq. conf. Welcker. in Philostrat. Imagg. p. 464. sq.). Notum est, tantum Pindari honorem fuisse cum apud Lacedaemonios (Thom. Mag. de vit. Pindar. Vol. II. p. 156.) tum apud Alexandrum, ut Thebis captis et posteris eius et domui parceretur. vid. Koenigius in Aelian. Var. Histt. XIII. 7. p. 664. *Εὖτε δ' Ἀλεξάνδροιο Φιλιππιάδαο μενοινῆς* [7]) *Καδμείων ἀφίκοντο Μακηδόνες ἄστεα πέρσαι Πινδαρέων μεγάρων οὐχ ἥψατο θεσπιδαὲς πῦρ*, ut est in carmine, quod legitur apud Heynium p. 159. Alexander ab Alexandro Gen. Dier. lib. V. 24. T. II. p. 331. unde sua deprompserit nescio. „*Apud Phryges pardalis pro foribus affixa* (*Homero teste*) *signum immunitatis erat*, *ne hostium incursibus paterent. Alexander vero captis Thebis*, *ut Pindari domui parceret*, *illam inscribi iussit.* Et temperatum est aedificii parietinis, quas visitavit Pausanias, diutissime, siquidem eae a Graecis hodieque ostentantur teste Hobhousio Vol. I. Lettr. XIX. p. 279. sq. Porro circa viam, quae e Neïstis Onchestum ducebat, erant templa Themidis, Agoraei Iovis et Parcarum et ultra haec signum Herculis Rhinocolustae (Pausan. c. 25, 4. p. 88.); inde, ut diximus, apparebat lucus Cereris Cabiriae et Proserpinae, a quo stadia fere septem distabat aedes Cabirorum (id. ibid. 5. p. 88.). Ab hoc fano itinere in dextram converso veniebatur ad grande delubrum Herculis Hippodeti et in campum, qui Teneri dicebatur (Pausan. c. 26, 1. p. 91.), commemoratum a Scholiasta Pindar. Pyth. XI. 5. p. 647. et Strabone IX.

---

7) Scribendum existimo μενοινῇ. vid. Schaefer. Melett. Crit. p. 112. sq.

p. 412. sq., *quo auctore ille Ptoo subiectus Onchestum versus extendebatur; sed Gellius (Itin. of Greece* p. 120. p. 126.) *de positu eius incertus fuit.* Siebelis. in Pausan. p. 84. Vid. Krusius Hellad. Vol. II. P. I. p. 440. sq. Postremo iuxta hanc viam erat Laii fanum *τὸ τοῦ Λαΐου τέμενος*. Sic enim ut rescribatur in Arrhiani loco, quem supra vitii postulavimus, fert opinio et coniectura nostra. Nimirum eius fani memoriam ab uno Arrhiano proditam clarior Iolai fama obscuravit atque obruit. Et poterant ut erant in nominibus exarandis parum accurati librarii graeculi res Laii et Iolai facilius et proclivius confundere, quam Aeolum et Laium, quod factum est aliquoties. Sed quod non dubito quin hanc emendationem meam tamquam temeraria andacia machinatam nonnulli reprehensuri sint haud mediocriter, illud velim reputetur, excogitatum hoc esse ad abluendam deformitatem loci insigni socordium hominum flagitio aperte depravati fidemque scriptoris in his rebus subtilissimi aeque vindicandam. Laii quidem monumentum quamvis constet apud Phocenses in ipsa via Schista fuisse (Pausan. X. 5, 2. p. 182. conf. Dodwell. Itin. Vol. I. P. I. p. 261. sq. Pisand. ap. Schol. Eurip. Phoen. 1760. p. 337. Lactant. in Stat. Theb. II. 65.), hoc tamen non prorsus a fide videtur abhorrere illi a Thebanis iuxta viam, qua Delphos abiisset, cum tumulum inanem excitatum tum fanum consecratum fuisse; namque iidem eodem honore prosequuti sunt Eteoclem et Polynicem, Menoeceum, Melanippum, Hectorem, alios multos (*ἄλλους τῶν καλουμένων ἡρώων* Pausan. c. 18, 3. p. 64.). Quid quod Spartae dedicatum erat in Aegidarum tribu *Ἐριννύων τῶν Λαΐου τε καὶ Οἰδιπόδεω ἱρόν* (Herod. IV. 149.)? Si Laii aliquod oraculum extitit, id quod ex Herodoto V. 33. (*ἐκ τῶν Λαΐου χρησμῶν*) collegit Tiraquellus in Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. VI. 2. T. II. p. 424., illud non inepte hic collocaveris. Sed satius est Herodoti verba de oraculis Laio ab Apolline datis cum Larchero et Schweighaeusero interpretari (v. Lucian. Iov. Conf. 13. Vol. VI. p. 214. Pausan. IX. 26, 2. p. 92. Valcken. in Eurip. Phoen. 18. p. 10.), quam cum Valckenario et Odofr. Muellero (Orchom. p. 145. sq.) de oraculis ab ipso Laio editis. Illud vero nolim huc referatur, quod Sphinx a nonnul-

lis narratur Laii filia fuisse montemque Sphingium in illa regione situm tenuisse. Deinde Oedipum, quem apud se humatum iactabant Athenienses (Pausan. I. 28, 7. p. 123. 30, 4. p. 137.), Thebis sepulturae datum esse auctor est Homerus Il. XXIII. 677. sqq. conf. Reisig. Enarr. Soph. Oed. Col. p. IV. Quam Atheniensium et Thebanorum controversiam ita composuit Pausanias, ut ossa Oedipi Thebis in Atticam deportata diceret. Hunc enim explicatum habet is locus, in quem coniectando grassatus est Siebelisius p. 103. Quoniam vero Lysimachus Alexandrinus Arizelum sequutus memoriae prodidit Eteoni in Cereris sacro noctu ab amicis suis Oedipum sepultum idque oraculi responso postea comprobatum esse (v. Schol. Soph. Oed. Col. 92. p. 7. Elmsl.), censebimurne prompti esse nimia confidentia, si Thebis Oedipum ante Neïstas apud lucum Cereris Cabiriae conditum Homeri ducti auctoritate posuerimus? De Neïstis certe nostrae sententiae favent aliquo modo veteres explicatores Statii et Pindari, quorum supra usurpavimus memoriam. Atque haec fere sunt monumenta, ad quae e portis Neïstis perveniebatur. Superest, ut de eorum situ quaedam subiungantur. Nam cum reliquis sibi persuasit Siebelisius p. 80. a Pausania inde a capite 25, 1. p. 86. ea enumerari, quae ante Neïstas conspicerentur digna memoratu. Atqui is peragrato Herculis campo et Syrmate Antigonae demum transgreditur Dircen fluvium, quem novimus ipsa Thebarum moenia praeteriisse (vid. 25, 3. p. 87.). Quid quaeris? fluvium transgressus Pindari domo visitata in viam devenit, quae e Neïstis est (4. p. 88.). Oportet igitur aliquis cogitatione sibi fingat, portam inter et Dircen iacere campos satis patentes apertosque atque ita interiacere, ut per eos via non ducat, quae ex hac porta est. Omnino mirificus hic est interpretum error, qui indicari tantum debet, non refutari. Res autem sic animo concipienda est. Pausanias a Thebarum parte, quae orientem solem prospectat, septemtriones versus profectus ad ipsos Locrorum fines quum pervenisset, eadem qua abierat via reversus (neque enim hoc itinere Orchomenum, Coroneam, Alalcomenas attigit. vid. c. 34. p. 124. sq.) ad boreale Thebarum latus portasque Homoloides accessit. Qua in parte quum nihil repertum esset de-

scriptu dignum, Neïstas petens in eo spatio, quod inter utramque portam interiectum erat, invisit locos aliquot memorabiles monumentaque propiora illa a Neïstis, quam ab Homoloidibus, Menoecei sepulcrum, pilam Oedipi filiis erectam, Herculis campum, Syrma Antigonae. Inde transmissa Dirce adivit Pindari domum in dextra suburbii parte sitam et deinceps omnia, quae circa ipsam viam a Neïstis directam conspicua erant. Hinc id etiam efficitur, Dircen ubi decucurrit ad Neïstas portas non inflecti ad orbem urbis Thebarum circumagive ad partem septemtrionibus oppositam atque Homoloides, verum recto fere cursu in Copaidem paludem deferri.

ADDENDUM.

P. 42. v. 29. inserenda sunt haec: Coniectura autem nostra de Laio a Thebanis consecrato vide quam egregie confirmetur suffragatione Apollodori, a quo consignata contestataque sunt certamina Thebis in Laii honorem instituta lib. III. 15, 7.: *Ἔνιοι δὲ Ἀνδρόγεων λέγουσι πορευόμενον εἰς Θήβας ἐπὶ τὸν Λαΐου ἀγῶνα πρὸς τῶν ἀγωνιστῶν ἐνεδρευθέντα διὰ φθόνον ἀπολέσθαι.* Conf. Diodor. IV. p. 263. C.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Ismenus fluvius in Euripum excurrit fere e regione Chalcidis, ut rationes recentiorum geographorum castigandae sint omnium.

II.

Amphiarai in Boeotia unum solum fuit oraculum. Alia mens est, ne reliquos nominem, Odofr. Muellero Orchom. p. 486. sq. et Boeckhio Explic. Pind. Pyth. VIII. p. 314. sq.

III.

Lycormas Thebanus fluvius fuit nullus. Secus Odofr. Muellerus Orchom. p. 487.

IV.

Aeschyli Euripidisque fides in locorum descriptionibus metienda est ex consensu geographorum et historicorum.

V.

Cratini fragmento ap. Lactant. in Stat. Theb. II. 737., quod fugit Runkelium, a Tiliobroga Obss. Var. Lectt. p. 502. reconcinnato in hanc speciem: „Olea post quinquennium Athenis offerebatur [ob liber]atam pestilentiae civitatem, *quam verbenam nominant, in qua omnium frugum pomorumque primitias obligabant*", integritati restituo correctione hac: „quam εἰρεσιώνην nominant."

VI.

Versus: *Ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι* usurpatus ille a grammaticis compluribus (conf. Valcken. in Eurip. Phoen. p. 658.) Euripidis est et petitus e fabula Oedipo.

VII.

Plutarchus de Ser. Num. Vind. c. XVII. Vol. X. p. 255. non dubito quin scripserit in modum hunc: *Εἰ δὲ βούλει*

τοὺς ἄλλους θεοὺς ἐάσας τουτονὶ τὸν ἐνταυθοῖ τὸν ἡμέτερον, εἴ σοι δοκεῖ, τὰς ψυχὰς τῶν τελευτώντων ἀπολλυμένας ἐπιστάμενος εὐθὺς —, ἱλασμούς τε πολλοὺς προφέρειν τῶν κατοιχομένων καὶ γέρα μεγάλα καὶ τιμὰς ἀπαιτεῖν τοῖς τεθνηκόσιν —.

VIII.

Scholiastae Eurip. Phoen. 1315. p. 273.: *Ὡς τοῦ Μενοικέως παρὰ τὸν τάφον ἔνθα ἦν ὁ δράκων κατακρημνίσαντος ἑαυτὸν* cum pristino scribendi genere perspicuitatem sic videor posse reddere: *παρὰ τὸν τάφρον-κατακρημνίσαντος ἑαυτόν.*

IX.

Ad Colluthi poetae sane nonnunquam inficeti iustam interpretationem non leve momentum est in diligenti Nonni comparatione.

X.

Attii versum (Phoen. fr. V.) potius est facta unius accessione litterulae sic integrare: „Delubra coelitum, arcis sanctitudines", quam amplecti commentum Valckenarii in Phoen. p. 241. aut Bothii p. 237.

XI.

Virgilio (Aen. III. 702.) consentaneum est hanc versus formam restitui: — — — — campique Geloi
In manibusque Gela fluvii cognomine dicta.